



# Specimen literarium inaugurale de Sycophantis

<https://hdl.handle.net/1874/273294>

9

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE  
DE  
**SYCOPHANTIS,**

QUOD,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI  
**J. J. VAN OOSTERZEE,**  
THEOL. DOCT. ET IN FAC. THEOL. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE  
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

**PRO GRADU DOCTORATUS**

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

**JACOBUS GERARDUS DE VOS,**

ARNHEMIENSIS.

D. XXIV M. OCTOB. MDCCCLXVIII, HORA TERTIA.



AMSTELODAMI,  
APUD Y. ROGGE,  
MDCCCLXVIII.

STICOPHYLLIA

STICOPHYLLIA  
STICOPHYLLIA  
STICOPHYLLIA

STICOPHYLLIA  
STICOPHYLLIA  
STICOPHYLLIA

STICOPHYLLIA  
STICOPHYLLIA  
STICOPHYLLIA

STICOPHYLLIA  
STICOPHYLLIA  
STICOPHYLLIA

STICOPHYLLIA  
STICOPHYLLIA  
STICOPHYLLIA

TYRIS C. A. SPIN ET FILII.



PATRI SACRUM.



*Monente Promotore aestumatissimo rem tractavi, de qua nondum separatim actum erat. Arcissime cohaeret cum vita Atheniensium locumque obtinet praecipuum in eorum regiminis forma. Accurata ergo utriusque notitia requiritur ad laborem, quem suscepi, rite perficiendum. Quodsi ego propositum non assecutus sum, poterit saltem doctior me materia uti, quam collegi.*

*Libenter occasione oblata utor, ut gratias agam maximas Praeceptoribus meis omnibusque, quorum benevolentiam in Academia Ultraiectina expertus sum, quod*

*imprimis dictum volo de Promotore pro auxilio mihi  
oblato in hac dissertatione scribenda.*

*Ne quis autem putet, me nominibus omissis de-  
functorum immemorem esse, omni discipulo talem opto  
praeceptorem, tam benignum, tam humanum, qualis mihi  
fuit KARSTENUS.*


## CONSPECTUS.

---

	Pag.
Introductio.....	I.
§ 1. Sycophanta in Foro.....	7.
§ 2. Sycophanta in Vita familiari.....	15.
§ 3. Sycophanta in Vita publica.....	27.
§ 4. Sycophanta inter Socios.....	40.
§ 5. Sycophantarum Consociationes.....	46.
§ 6. Sycophantae et Demagogi.....	52.
§ 7. Sycophantarum coercendorum rationes.....	64.

---





## INTRODUCTIO.

---

Antequam disputationem ipsam de Sycophantarum vita eorumque in Atheniensium republica momento instituiamus, pauca dicamus necesse est de nominis origine, ne quid desit, quod ad rem nostram pertinere videatur.

Quod ad etymologiam attinet, vocabulum *συκοφάντης* eodem modo factum est ut *ιεροφάντης*, quod hominem significat, qui monstrat τὰ ἱερά. Sic igitur voce *συκοφάντης* indicari videtur ille, cuius negotium pertinet ad τὰ οἴκια.

Quoniam vero inde non multum discimus, vocis explicatio aliunde arcessenda est. Frustra autem auxilium petimus a veteribus, nam, qui primus de ea mentionem facit, Plutarchus <sup>1</sup>, certi nihil docet. E posterioribus in

---

<sup>1</sup> Solon 24. Οὐκ ἂν οὖν τις ἡγήσαιο παντελῶς ἀπιθάνους τοὺς λέγοντας, ὅτι καὶ σέκων ἐξαγωγή ἀπίσητο καὶ τὸ φαίνειν ἐνδικονόμενον τοὺς ἐξάγοντας κληθῆναι συκοφαντεῖν.

primis ea nobis probanda videntur, quae habet Etymol. magnus, voce συκοφαντεῖν: Κεκλήσθαι δὲ τοῦτο φασὶ παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, πρῶτον ἐκείσε εὐρεθέντος τοῦ φυτοῦ τῆς συκῆς τῆς ἐφημέρου τροφῆς. Καλλίστων δὲ ὄντων τῶν Ἀθηνησι σύκων, καὶ διὰ τοῦτο κωλύοντων ἐξάγειν αὐτὰ, ἐκλήπτον αὐτὰ τινες, καὶ ἐξήγον ἕξω τοὺς δὲ μηνύοντας καὶ φαίνοντας τοὺς ἐξάγοντας ἀπεδέχοντο μὲν, ἐξ ὧν δὲ ἔπραττον συκοφάντας ὠνόμαζον. Συνέβη δὲ καὶ τοὺς ὀπωσοῦν κατηγοροῦντάς τινος φιλαπεχθημόνως, οὕτω προσαγορεύεσθαι.

Omni tempore fici magni habebantur, sive pro victu quotidiano sive pro deliciis haberentur; cuius rei ut convincaris, modo legas Athen. III. 74<sup>e</sup>—80<sup>e</sup>, quo e loco simul patet Atticas ficos ceteris fere omnibus bonitate antecelluisse; hinc non mirum est Athenienses legem tulisse, qua caverent, ne fici exportarentur, sive ut his deliciis <sup>1</sup> soli fuerentur, sive ut ficis colendis consulerent. Eo maiorem probabilitatem eiusmodi interdictum habet, quia idem valebat de multis aliis proventibus et mercibus <sup>2</sup>, qualia decreta tribuenda istius aevi ignorantiae. Nesciebant enim id actatis, ut diu post, homines increaturam quo maiore gaudeat libertate eo magis florere.

Scholiasta in Arist. Plut. 31 tradit aliquando in

<sup>1</sup> Athen. III. 74<sup>e</sup>.

<sup>2</sup> Casaub. ad Theophr. Char. 23.

magna caritate annonae ficos diis dicatas clam esse direptas, iis vero, qui fures deferrent, nomen *συνοφάντων* esse datum. BÖCKH<sup>1</sup> “hanc narrationem multo probabiliorem” dicit. Equidem analogiam, quam ille vult, non perspicio inter sacras olivas et ficos, quasi haec quoque huic illive deo dicatae essent: mihi saltem de ficorum sanctitate nihil innotuit; deinde multo verisimilius est nomen *συνοφάντην* permansisse ex interdicto, quod sane per aliquot annos viguerit, quam ex fame quadam, cuius effectum non tantum fuisse putamus. Nullam igitur agnoscimus causam, cur BÖCKHII interpretationem nostrae anteponamus, sed credimus *συνοφάντας* remotissimis temporibus eos fuisse, qui caverent non solum fici ne exportarentur, verum etiam omnes merces interdictae (quarum commune nomen *τὰ ἀπόρητα*), iisque contumeliae causa hoc nomen inditum esse, quia impedirent non solum exportationem frumenti, rerum navium fabricationi inservientium, aliarumque maioris momenti, sed etiam minoris momenti ut ficorum.

~~~~~

Inter varias, quas Solon<sup>2</sup> promulgavit, leges etiam haec erat ut unicuique foret potestas accusandi

<sup>1</sup> Staatshaush. I. 46.

<sup>2</sup> Plut. Sol. 18.

eum, qui sive publice sive privatim aliquid deliquisset. Nullam liberaliorem legem excogitari posse si consilii, quod Solon sibi proposuit, habeamus rationem, nemo facile negabit; quicumque enim iniuriam sive maiorem sive minorem acceperat, modo adiret magistratum, ius suum consequi poterat.

Nec profecto lex, quae ab altera parte nimium indulgebat calumniandi libidini malevolorum, valde periculosa erat reipublicae aetate Solonis, quum variis modis legis abusu succurri posset: ut vero populus altiores spiritus sumpsit et reipublicae moderamen ad Periclem devenerat, iuris conditio sensim paulatimque mutata est. Legis enim abusus usum longe superabat: lex id spectabat, ut nemo non libertate et iuribus tum publicis tum privatis quam maxime frueretur. Legislator autem non definiverat qualium delictorum poenae repeti possent, neque quibus argumentis accusatio niti deberet, quo factum est, ut aditus pateret ad varias molestias, abusus et calumnias.

Sycophantae autem vocati sunt, qui cives ob inanes causas deferabant, in quibus deferendis nitentur argumentis nullius pretii.

Est, ut videmus, maximum discrimen inter sycophantam pristinorum temporum et eum, quem nunc volumus, eorumque affinitas non nisi in eo posita est, quod ab utroque civibus molestiae creabantur.

Usus autem vocabulorum *συκοφάντης* et *συκοφαντεῖν* ubi passim a scriptoribus usurpantur his finibus non continetur; saepe enim adhibentur non ad eum, de quo nunc agendum est, falsum scilicet accusatorem significandum, sed ad indicandos omnes nefarios, malignos homines, denique ad summam malitiam notandam, luculentum profecto indicium bonae famae et opinionis popularis qua isti fruebantur. Addamus in antiquis auctoribus legendis probe attendendum esse ad significationem et sensum, quibus occurrunt haec vocabula, ne inde, quae verae scriptoris sententiae repugnent, efficiantur.

Sycophanta ut per se intelligitur erat *πολίτης*: erat ei ius alios deferendi et putares eum tantum opportunitate aliqua data hoc iure usum esse, merito an falso. Apud nonnullos res revera sic se habebat, sed plerumque ad consilia politica tantum consequenda; hi ceteroquin vitam agebant honesto modo victum quaeritantes vel munere aliquo fungentes. Alii vero qui nihil aliud agentes victum quaerebant *τούτω τῷ συκοφαντεῖν* et eodem iure januae postuli titulum *συκοφάντην* affigere potuissent quo nos hodie titulos professionem indicantes ibi affigimus, hi erant sycophantae absolutissimo nominis sensu: victimis enim suis metum incutiendo pecuniam sibi comparabant, unde vitae necessitatibus prospicerent, nec opportunitates nobis deerunt animadvertendi, quas

rationes inirent ad proposita sua assequenda, quum in rebus privatis tum in publicis, et Athenis et inter socios.

Sycophantia, quum post Themistoclis fugam teste Plutarcho <sup>1</sup> maxima incrementa sumpsisset postea non minus viguit, ut sponte patet.

Pericle mortuo alio ductore admodum opus erat: quum vero nemo dignus esset, qui ei succederet, populus, belua illa multorum capitum, indulsit ingenio suo, nec aliter fieri potuit, quin omnes avide arriperent opportunitatem sibi oblatam; consequens erat, ut et sycophantiae prae ceteris cupiditate ducti ubique grassarentur, et pro suis quique moribus, ingenio et facultatibus eas opportunitates arriperent, quas sibi maxime opportunas iudicarent.

---

<sup>1</sup> Arist. c. 26.

§ 1.

**SYCOPHANTA IN FORO.**

---

Quum Athenienses plerumque foris degerent, non mirum est eos gressus eo dirigere solitos esse ubi quid videre, audire, agere possent. Constituto ergo tempore adibant τὴν ἀγορὰν — locum, ut notum est, quum populi conventibus tum mercaturae destinatum — ut ibi tempus quam iucundissime tererent (σχολλάζειν ἐν τῇ ἀγορᾷ). In tanta multitudine — non immerito dicendi formula ἀγορᾶς πληθούσης ad tempus significandum inde desumpta est — sponte intelligitur etiam copiam eorum ibi fuisse, quorum praesentia haud erat in votis: officeres adco e verbis πονηρός καὶ ἀγορᾶς εἶ<sup>1</sup> neminem nisi sceleratum vulgo ibi adfuisse: hoc saltem constat συνοφάντας ibi non defuisse.

Alii igitur aliis negotiis incumbabant. Quid vero

---

<sup>1</sup> Aristoph. Equit. vs. 181.



Sycophanta? Respondet huic quaestioni locus Demosthenis <sup>1</sup> elegantissimus: "Athenienses vicies mille sunt: horum unusquisque uno saltem negotio sive publico sive privato occupatus in foro obambulat. Iste autem nihil quicquam ostendere possit rei honestae aut pulchrae in qua versetur et vitam agat: non publico aliquo negotio animum occupatum habet: non arti non agriculturae non ulli quaestui studet: cum nemine ullis humanitatis aut familiaritatis vinculis est conjunctus: sed per forum incedit viperae instar aut scorpionis erecto aculeo huc atque illuc saltitans, circumspectans, cui calamitatem aut maledictum aut malum aliquod inferat, cui perterrito nummos extorqueat; nec ingreditur in ullam tonstrinam, aut myropolium aut aliam officinam, sed insociabilis vagabundus a congressibus abhorrens nil cogitat moderato homine dignum, sed iis comitibus, quos pictores lemurius adjungunt, apud inferos, execratione, maledicentia, invidia, seditione, contentione stipatus incedit."

Non solum Athenienses verum etiam aliorum oppidorum incolae in foro merces venditabant, quibus, quoniam urbani ipsi haud raro sycophantarum machinationibus circumveniebantur, maiores molestias praeberi facile apparet ob rusticitatem eorum et propterea quod

---

<sup>1</sup> Contra Aristog. I. Cap. II.

Sycophantae probe norant se hujus generis hominibus, quippe Atheniensium legum et praescriptorum minus gnaris, maiorem timorem injicere posse, quo plura deinde iis extorquerent. Sic ut vidimus hos illosve compellantes per forum obambulabant, ut data opportunitate opus aggredierentur.

Aristophanes huius rei duo specimina affert in Acharnensibus, qua fabula Atheniensibus suadet ut pacem ineant cum Spartanis (anno 425). Megarenses <sup>1</sup> multa perpassi erant ab Atheniensibus, qui meretricem Sinaetham iis subduxerant <sup>2</sup>. Megarensibus, quum Atheniensium iniurias simili modo ulti essent, gravibus legibus interdictum est, ne inter Athenienses eorumve socios commorarentur. Megarenses obsecrant Lacones pro se intercedant persuadeantque Atheniensibus, ut interdictum abrogetur. Quod ut illi assequantur summo opere nititur Dicaeopolis quippe cui patriae commodum cordi sit, quique pacem longe anteferat bello, quod pertinaces Acharnenses lacesant prae odio contra Lacones, qui se iam multis damnis affecissent agris devastandis. Dicaeopolis, quum omnes conatus eius irriti sint, Megarensium tamen omnibus rebus indigentium misericordia motus, aream ante aedes suas ita

<sup>1</sup> Acharn. vs. 519.

<sup>2</sup> Litis originem e mente poetae a nobis hic referri vix est quod dicam. Meliora docet Thucydides, I, 144.

instruit, ut sit pro foro mercenario eoque convocat Peloponnesios, Megarenses et Boeotos ut merces ibi venditent. (Satis scimus rem quae representatur in scena non agi in ipso foro, sed ad propositum nostrum perinde est). Aristophanes autem verbis Dicaeopolidis acriter perstringit Atheniensium socordiam; necessarium enim putat *ἀγορανόμους* adesse, qui sycophantas, delatores, omnes denique *ἀνδρῶς φασικανούς* arceant, ne praesentibus molestiae creentur, unde iure efficias forum plerumque istorum sceleratorum refertum fuisse. Inter venditores est quidam Megarensis qui, quum fame crucietur, duas filias quo melius eas vendat, transformat in porcellos. Hae tam bene suas partes agunt ut Dicaeopolis eas emat; dum autem pretium constitutum e domo sua petit, sycophanta quidam Megarensis aggreditur ut praedam jam diu sibi exoptatam. Rogat, unde veniat et Megarensi respondentem se porculatorem esse minatur se ipsum et porculos quippe merces hostiles delaturum esse. Megarensis haud nescius Sycophantas omnium malorum auctores esse acgre fert eius praesentiam: quum vero vires ei desint quibus se liberet ab isto molesto qui acriter ipsum urget, ut saccum merces continentem sibi concedat, Dicaeopolidem opportuno tempore redeuntem auxilio vocat. Dicaeopolis primum rogat *ἀγορανόμους*, quidni Sycophantas foras excluderint, quo solitam illorum socordiam perstringit, qua

fiabat ut ii, quibus molestiae crearentur frustra auxilium peterent ab iis, quibus mandatum erat disciplinae forensi consulere. Dicaeopolis quum eiusmodi hominum maiorem quam Megarensis habeat experientiam, Sycophantam confidenter aggreditur: quomodo tu, inquit, defers (vel lucas) sine funali (vocabulo *φαλκων* simul spectans τὸ denunciare)? Sycophanta nihil afferre potest quo se defendat nisi inanibus verbis quibus omnes utuntur, scil. annon sibi reip. hostes deferendi sint, simulque quam citissime se expedit a Dicaeopoli monitus alibi calumnias exerceat.

In alia fori parte Boeotus quidam varias merces venditat ut anates, lepores, anguillas, ellychnia, cet.; Dicaeopolis anguillas emit, eique alias merces mutuas offert, e. g. apluas aut fictilia: haec vero non sunt, quae sibi quaerit, quippe quorum sat magna copia reperiatur apud Boeotos; talia asportare mavult quallium sit affatim Athenis, in Boeotia nihil. Dicaeopolidi suadenti ut sycophantam secum asportet bene ligatum tamquam vas fictile, respondet Boeotus se parum emolumenti percepturum e tali homine, quippe colluvie scelerum. “At, inquit Dicaeopolis, ecce commode venit Nicarchus iste, quempiam delaturus.” “Parvae est staturae.” “Sed mera nequitia.” — Quum saepius nomen sycophantae in scenam prodeuntis taceatur, hic vero afferatur, efficere inde licet

eum in genere isto excelluisse: aliter enim, Aristophanes eum non nominatim perstrinxisset. Ceterum de hoc Nicarcho praeter ea, quae hic allata sunt, nihil nobis innotuit. — Nicarchus nullam rationem habet Dicaeopolidis, Boeotum vero statim aggreditur, eumque rogat, cuius sint istae merces. Audito eas esse Boeoti, omnes quippe hostium deferre in animo habet; Boeoto roganti, cur cum avibus bellum initurus sit, respondet se et ipsum delaturum esse, quod ellychnia ab hostibus importaverit: quam causam se addere in gratiam circumstantium, Boeotum enim quippe peregrinum tanto honore dignum non esse. Boeoto non habenti, quomodo importunum istum hominem a se dimittat, auxiliatur Dicaeopolis non magis Nicarchum metuens quam Sycophantam, de quo supra diximus, etiamsi sit illo impudentior. Dicaeopolis inquit: “Deferne etiam ellychnia?” “Unum quippe eorum facile incenderet navale: si enim quis Boeotius id blattae infixum et incensum observato vehementiore Aquilonis flatu per canalem in navale immitteret, omnes naves incenderentur.” Dicaeopolis his ineptiis excandescens non sine conviciis infligit ei alapam; ubi Sycophanta vult antestari ob iniurias sibi reip. curatorii illatas, Dicaeopolis eam viam ingreditur, quam si semper Athenienses ingressi essent, melius universae reip. consulissent: “comprime ei os” succlamat “et affer sar-

menta, quibus eum illigem." Chorus plane assentitur Dicaeopolidis sententiae eumque monet, ut omnem curam adhibeat in tam preciosa merce illiganda: Dicaeopolis tali admonitione dicit se non indigere, Sycophantam enim clamoribus quemque praesentiae suae admoniturum; praeterea, etiamsi diis sit invisissimus nullum esse dubium, quin omnes, quotquot eius pretium non lateat, maximam curam eius habituros esse; hominem enim esse quasi vas ad omnia utile, quod qui habeat, mirum quantum perficere posse.

Sarcinis a Boeoto collectis insuper hoc onus additur, quod subit Boeoti servus a Dicaeopolide monitus, ut caute illud ferat, non quod tanti pretii sit, verum ut sic gratiam ineat apud ceteros Sycophantas, quippe quorum numerus tali modo uno minor futurus sit. Quibus dictis Boeotus eiusque servus vociferantem asportant Sycophantam.

Acerrime, ut vidimus, Aristophanes Sycophantarum mores hic depinxit; dolendum tamen est Athenienses non maiorem utilitatem percipisse ex huius generis exemplis quibus liberari se potuerant ab istis iuris violatoribus.

Ceterum idem erat consilium huius Nicarchi ac superioris Sycophantae, scil. ut se ditaret, sive per actionem, homini intentandam, sive extorquenda pecunia perterrita; discrimen hoc erat, quod ille iuris

quadam specie utitur: affert enim vel afferre saltem conatur causam, cur sic se gerat, simulque praebet exemplum argutiarum in accusatione excogitanda, quod ceteroquin, comicorum more, nimis quaesitum est habendum.

§ 2.

**SYCOPHANTA IN VITA FAMILIARI.**

---

Quale hominum genus sint Sycophantae, quam vitam agant, quomodo victui prospiciant, haec omnia nobis proponuntur ab Aristophane in Pluto <sup>1</sup>.

Postquam coecus Plutus a Chremylo ad Aesculapii fanum ductus visum receperat, ut probos ab improbis dignoscens in probos divitias conferret, improbisque easdem auferret, haec oculorum sanatio effectu non carebat in Sycophanta quodam queritante multiplici se infortunio mactatum esse. Neminem enim eius miseret sed circumstantes conviciantur ludumque faciunt hominem, qui iam probe intellegit istam fortunae conversionem imputandam esse dei sanationi, quem, si modo iura non deficient, de integro caecum futurum esse habet persuasum. Contendens enim virum bonum

---

<sup>1</sup> Arist. Plut 850—960.



se esse scilicet patriaeque amantem, divitem se fore speraverat, at Chremylus et Justus ex praesenti eius conditione concludunt fieri non posse, quin scelestus sit. Ob quale convicium iratus Sycophanta eos ipsos sibi pecuniam eripuisse dicit. Servus autem adstans eum ad famem, qua urgeatur, depellendam huc se intulisse putat. Deinde Iustum praedicantem iustitiam dei perdituri omnes Sycophantas Sycophanta rogat, num etiam furti particeps sit: "nam unde inquit accepisti hocce vestimentum, quum heri te pallio amictum viderim?" "Nihil te moror, Iustus respondet, gesto enim hunc anulum drachma emtum", cui dicto Chremylus reponit nihil illum valere ad Sycophantam arcedendum. Quae convicia non ferens Sycophanta simul pisces odoratus et carnes quae intus assantur, illis, quod ipsius sumtibus coeant, exprobrare aggreditur, cui salse reponit Justus frigus eum odorari, quia tam detrito amictus sit pallio. Ad quae verba Sycophanta: "Heu me miserum, quot et qualia mihi probo homini devoranda sunt convicia!" "Esne tu probus? numve ullam artem exerces, unde victus tibi paretur?" "Equidem prospicio reip. commodis, quicumque aliquid deliquerit accusando." "Annon malles vitam quietam agere, vel aliam artem addiscere?" "Non addiscerem si vel summas mihi opes, ipsumque adeo Plutum daturus esses."

Ubi eo perventum est ut Chremylus eum coacturus sit ad vestes deponendas calceosque exucendos, Sycophanta sibi auxilio nescio quem vocat, quem secum antestandi causa duxerat, si qua necessitas urgeret; is vero iam fuga se proripuerat et Sycophanta cinctus ab adversariis non videt quomodo sese expediat.

Illi misericordia moti scilicet dant ei detritas Justi vestes, quo facto discedit simul iis minans se testem vel adiutorem aliquem adducturum esse ut poenas sumat a deo. Abeuntem Sycophantam Justus consilio adiuvat, ut balneum adeat seque ibi calefaciat, simulque Chremylus ei insurrat balneatorem eum foras protracturum esse ubi animadverterit eum esse hominem sequioris notae.

Praebet hic locus affatim copiae unde efficiamus quid Sycophantae ipsi sentirent de sua vitae ratione, nec minus quomodo huius notae hominibus uterentur Athenienses. Sycophanta quibuscunque modis potest sola excepta honestate victui prospicere conatur. Nec professionem ullam, nec munus suscipit. Aliquid addiscere, e. g. agricolam fieri insani esse putaret; nec mercatorem vel negotiatorem fieri id est quod sibi optat, nisi si quando usu venit, i. e. cum aliquo cui negotia facessit transigere ut eum a se dimittat maiore minoreve summa. Ipsum si audis *civitatis et suis ipsius rebus* consulit; privata autem negotia habet nulla;

nihil novit neque agit; omnia spernit: negotiandi enim munus non suscipit nisi data opportunitate. Publicis commodis consulit eo iure utens quod unicuique civi sit scil. accusandi quicumque aliquid deliquerit. Sponte intelligitur exinde eum victum sibi quaerere non posse, quocirca nefario modo commodis prospiciat necesse est. Nihilominus, etiamsi sit Sycophanta deterioris notae non omnino caret pudore: honorem enim sibi ducit se publicis commodis prospicere, quantumque possit sua conferre ad tuendum reip. statum, denique pro suis viribus de patria bene mereri; si ei suadeas ne se molestiis ab accusatoris publici munere inseparabilibus immisceat atque aliis potius eas permittat, aegerrime ferat tuum consilium, seque si id faceret pecudis more vitam acturum existimet.

His quae modo attuli plane congruunt quae Demosthenes tradit de Aristogitone, qui, dum omnes Athenienses alicui negotio sive privato sive publico vacent, nullam honestam artem, qua vitam sustentet profiteatur neque ulli muneri publico aut disciplinae literisve se tradiderit, neque agriculturae aliive rei navet operam.

Idem valet de Sycophanta qui in Aristophanis Avibus<sup>1</sup> traducitur: hic quoque satis contentus est sua provincia nec sibi quamcunque professionem obtrudi

---

vs. 1410 sqq.

patitur; non, quod aetate sit tam proventus ut fodiendi artem quam non tenet non possit addiscere: immo vero perstat in suo incepto, ne avito vitae genere relicto familiae suae dedecori sit scilicet.

Solon quidem inter alias curas hanc quoque curam Areopago mandaverat ut inquireret unde singuli cives cives victum sibi pararent, ne quis inertiae se traderet<sup>1</sup>; sed facile intellectu est hanc legem cum aliis multis progrediente tempore vim suam amisisse.

Ut videmus magna est similitudo inter Sycophantas maioremque Israelitarum partem: hi quoque ambulando victum sibi quaerere malunt, quam ut ad fungendum muneribus vel negotiis statariis quae dicunt se accingant; Athenienses autem e Sycophantis maiora ceperunt detrimenta: eo ipso enim quod nihil factitabant nec habebant quo tempus honeste tererent alii inertiae eorum obnoxii erant.

Recte igitur Demosthenes Sycophantarum rationem victus quaerendi his verbis complectitur: τὰ τῶν ἄλλων κατὰ τοῦτον τρέφει. Neque miramur frequentes locupletiorum Atheniensium querimonias honesto homini "qui sui iuris esse velit, vitam molestissimam esse" ut dives ille Crito Xenophonteus<sup>2</sup> queritur, vel ut Am-

<sup>1</sup> v. Limb. Brouwer, Hist. de la Civilis, cet. III, 145.

<sup>2</sup> Xen. Mem. II, 9, 1.

monius (in vita Aristotelis) *ὅτι τὸ Ἀθηναῖσι διατρέβειν ἐργῶδες ἐστίν*. Praeterea in rei natura positum est ditissimum quemque maxima inde sumpsisse detrimenta ut nos docent verba tum Aristophanis <sup>1</sup>: *Καλλίας . . . ὃν γενναῖος ὑπὸ σνκοφανιῶν τίλλεται*, tum Demosthenis <sup>2</sup>: “Midias iste habet assecclas Polyeuctum, Timocratem et Euctemonem multosque alios: sed semper vides hujusmodi homines divitibus se obtrudentes.” Praeterea Athenienses censebant aequum esse ut divites, quorum non adeo eos miserebat, opes suas cum populo communicarent, nec haesitabant iudices incitare ut suffragiis ferendis starent a parte inopum eorumque privilegia tuerentur: “Illud etiam, ita dicit orator, cogitate pauperibus nihil esse metuendum ne fraude circumventi opes amittant, corporum autem iniurias omnibus esse communes: itaque quum fraudatores punitis, divitibus duntaxat consulitis, quum vero protervos istos coercetis, vobismetipsis opem fertis. Quare vos *haec* iudicia maximi facere decet, ac in aliis contractibus litem tanti aestimare, quantum accusatorem consequi aequum est, qua soluta reum petulantiae suae perpetuo poeniteat” <sup>3</sup>. Nec tantum divites fortunarum parte carere probe poterant, cavendum insuper erat

<sup>1</sup> Aves, vs. 285.

<sup>2</sup> c. Midiam, p. 560.

<sup>3</sup> Isocr. c. Lochitem, p. 398.

ne divitiis et impudentia sua periculosi evaderent egenis eorumque iuribus detraherent aliquid, ut perhibet Dem. in Or. c. Midiam.

Divites igitur ob ipsas opes maxime idonei erant quibus insidiarentur Sycophantae; erat autem et alia causa. Quantum enim poterant illi vitam publicam fugiebant ne semper in periculo essent sua amittendi; non participes erant rerum gerendarum, non conspiciantur in foro, in oblivionem denique ibant: sed quamvis latere conarentur, tamen "qui tale quid in animo habent (scil. τὸ συκοφαντεῖν)... eos invadunt et accusant quos nec verentur nec metuunt, quosque quum divites esse vident, tum copiis amicorum destitutos et rebus gerendis ineptos" <sup>1</sup>; ii contra qui semper in foro erant (vere enim Aristophanes: Ἀθηναῖοι δ' αἰεὶ ἐπὶ τῶν δικῶν ἄδουσι πάντα τὸν βίον <sup>2</sup>) probe noverant quibus modis insidias sibi structas averterent, neque his deerant sodalitia unde sibi defensores vel adiutores eligere possent.

Jam sponte apparet pauperes immunes fuisse ab istorum iniuriis, atque adeo Sycophantae locupletibus insectandis consulebant tenuiorum commodis primum quod probe sciebant hos quippe qui nihil haberent pecunia emungi non posse, deinde quod communi quo-

<sup>1</sup> Isocr. c. Euthyn. § 8.

<sup>2</sup> Aves 40.

dam vinculo sese iis coniunctos esse non ignorabant; hi enim, sutores, lucernarum fabricatores, cet. multitudo illa erat cui servire et blandiri nemo non sibi officio et honori ducebat; versutus autem Sycophanta quod per se intelligitur hac in re a nullo se superari patiebatur, ita ut conatibus suis et contentionibus non minus sibi ipsi quam inopibus illis prospiceret. Nec quemquam latuisse Sycophantarum conatus apparet ex hisce verbis Isocratis: οἶμαι δὴ πάντας εἶδέναι ὅτι μάλιστα συνοφαντεῖν ἐπιχειροῦσιν οἱ λέγειν μὲν δεινοί, ἔχοντες δὲ μηδὲν, τοὺς ἀδυνάτους μὲν εἰπεῖν, ἱκανοὺς δὲ χρήματα τελεῖν <sup>1</sup>.

Sycophantarum conatus non irriti erant; nanciscebantur enim quod sibi speraverant, paulatimque aliorum detrimento ditescabant ut et Chremylus <sup>2</sup> apud servum Carionem de sua sorte queritur, se ipsum quippe justum et probum hominem esse inopem, quum alii ditescerent, sacrilegi, causidici, Sycophantae, scelesti.

Hic ut et aliis compluribus locis videmus Sycophantam eodem loco haberi ac ceteros omnes improbos, nec desunt loci unde efficiamus eos non tantum delationibus malam existimationem obtinuisse, sed etiam, si quotidianum spectamus commercium pertinere ad faecem civitatis. Cuius rei nonnulla exempla afferre lubet.

<sup>1</sup> c. Euthyn. § 5

<sup>2</sup> Arist. Plut. 31.

Stephanus quidam Neeram meretricem secum Megaris Athenas adduxerat ibique cum ea vixit<sup>1</sup>. Duabus autem de causis duxerat eam, quae aliis se prostituerat, ut et sine sumptu formosum scortum haberet, et mulier illa victui necessaria quaereret, familiamque ipsius sustentaret: neque enim Stephanus ullus habebat reditus nisi quae forte per calumnias aliis extorsisset. Apud eum commorans Neera eundem nihilominus quem antea quaestum factitabat, sed maiores mercedes exigebat si quis cum ipsa rem habere vellet quippe iam dedecus suum Stephani matrimonio tegebat; at ipse Stephanus si quem hospitem, ignotum divitem eius amatorem deprehendisset, pro adultero intus includebat perque minas ei magnam pecuniae summam extorquebat. Nec iniuria, ut pergit Demosthenes, nam res familiaris nec Stephano erat nec Neerae, unde quotidianos sumptus sustinere possent; expensae autem permultae erant, quod et se ipsum et Neeram et tres liberos, quos illa secum adduxerat, et duas ancillas et puerum ministrum alere oportebat, praesertim quum laute victitare dedecisset Neera, ab aliis sustentata prius. Neque enim e republ. reditus aliquo nomine dignos habebat Stephanus, ut qui nondum orator esset, sed calumniator adhuc ex eorum numero qui ad sug-

<sup>1</sup> Demosth. in Neeram, p. 1358 sq.



gestum acclamant et mercede accusant et indicant et alienis sententiis subscribunt.

Graviora etiam sunt quae Demosthenes nobis tradit de Aristogitone, quem dicit esse Sycophantam haud similem ceteris, sed quasi “cauponem improbitatis, mangonem sordidissimum et propolam” <sup>1</sup>.

Impius iste et nefarius patrem in carcere deseruit, eumque mortuum non sepeliit, neque iis qui sepelierant sumptus funeris restituit, sed et diem dixit. — Porro, a matre manus non abstinuit. — Sororem suam non quidem germanam, sed tamen sororem peregre abducendam vendidit. — Aliud nefarium facinus. Quum enim perfosso carcere esset elapsus, ad mulierem quandam confugit, nomine Zobiam, quacum nimirum olim consueverat. Ea primis eum diebus, quibus ab undecimviris quaerebatur et proclamabatur, occultavit. Postea datis octo drachmis in viaticum, et tunica, et pallio Megara eum misit. Eam mulierem tam bene de se meritam, ut prospero fortunae statu utebatur et dignitatem apud Athenienses obtinebat aliquid de eo conquerentem et gratiam sibi referri postulantem primum alapa data et minis additis ab aedibus ablegavit: ut autem mulier non desistebat sed progressa ut eius sexus est ingenium apud familiares de eo querabatur,

---

<sup>1</sup> Dem. c. Aristog. I passim. Capp. 10, 12, 13. Sitne haec oratio a Demosthene abjudicanda, ut nonnulli volunt necne, nihil nunc interest.

ipse eam suis manibusprehendens ad forum inquilinorum abduxit, ac nisi tributum inquilinorum solvisset vendita esset per eum cui salutem ipsa contulisset. — Unum adhuc ex eius scelerate factis recenseamus. Priusquam e carcere egrederetur, eo conjecto quodam homine Tanagraco, qui ad satisfactionem tabulas habebat, cum eo congressus, et nescio quid colloquens surripit tabulas. Quum autem homo quereretur et graviter ferens diceret neminem alium surripuisse eodementiae pervenit iste ut eum verberare aggrederetur. Is vero ut recens atque integer superat illum jam diu maceratum. Quum autem eo ventum esset praemordet nasum hominis eumque devorat post; ac tum quidem ea calamitate pressus ille ab investigandis et quaerendis tabulis destitit, post inveniunt eas in arcula quadam, cuius iste clavem tenebat; deinde, dicit Demosthenes, qui in carcere erant huiusmodi decretum faciunt: non ignem, non lucernam, non potum, non cibum ullum cum eo esse communicandum nec accipiendum ab eo, nec dandum ei quidquam.

Credimus quidem non omnes Sycophantas isti similes se praestitisse; satis autem superque est tales fuisse qui non tantum aliorum detrimento ditescerent sed et probitatem et pietatem postponerent, simodo id nanciscerentur quod sibi proposuissent. Opportunitas nobis non defuit perspicendi quales essent Syco-

phantae, ubi eos vidimus singulos aggredientes; multo vero periculosiores reperiemus eosdem in vita publica, in ecclesiis et iudiciis ubi omnia pro suo commodo ordinarent nec tantum de singulorum hominum sed de universae reip. salute decernerent.

---

§ 3.

**SYCOPHANTA IN VITA PUBLICA.**

---

Sycophantas haud pauciores in foro iudiciaria quam in foro mercenario fuisse, non est quod miremur. Athenae enim nefariorum istorum refertae erant <sup>1</sup>.

Iudicabant adeo Athenienses idque non prorsus immerito, indigere horum opera Rempublicam scil. ne accusatores publici deficerent. Romanos eodem modo hac de re sensisse apparet e verbis Ciceronis <sup>2</sup>: “accusatores multos esse in civitate utile est ut metu contineatur audacia” eodemque fere redit dictum Simonidis <sup>3</sup>, quemadmodum suam cuique cassitae cristam, ita suos cuique Democratiae Sycophantas esse.

Ciceronis et Simonidis sententiis inter se collatis

---

<sup>1</sup> Theopomp. in Athen. VI, p. 254. — Vit. Aristot. p. 400, 77 Vitt. Ser. min. ed. Westerm.

<sup>2</sup> Pro Rosc. Amer. 20.

<sup>3</sup> Plut. Timol. 37.

non valde ab iis dissentimus putantibus Romanos et Athenienses non carere potuisse accusatore publico, modo Sycphantam eodem sensu accipiamus ac accusatorem vel quodammodo delatorem (nos enim etiam utimur magistratibus eadem iura tuentibus); in hac vero scriptione ubi Sycphantam intelligimus qui non vere consulens legibus civitatis harum curam praetendendo singulos spoliaret, omnia iura detorqueret <sup>1</sup> universam rempublicam perverteret, abusus locum usus obtinuerat, plusque profecissent Athenienses si omnibus viribus iis fuissent adversati quam, ut mea faciam verba Ciceronis, *cibariis iis praebendis*, incitandaque eorum vigilantia eorum conatibus prospexissent.

Eandem sententiam tuetur Demosthenes ubi discrimen verum inter et falsum civitatis procuratorum his verbis exponit <sup>2</sup>: “Suasor et delator (*σύμβουλος και συκοφάντης*) quum in nulla alia re similes sunt tum in hac maxime inter se dissentiunt: alter enim antequam res gestae sunt consilium exponit, et rationem reddendam iis quibus persuadet, fortunae, temporibus, cuicumque demum libuerit, in se suscipit: alter autem silentio tum quum loqui decebat usus, si quid post acerbius accidat, criminatur.”

<sup>1</sup> Legas Aristoph. Aves vs. 1694—1705.

<sup>2</sup> De Corona, p. 291.

Similiter Aeschines <sup>1</sup>: οὐκοῦν τὰ μὲν ψηφίσματα ὡς ἐξ ἀρχῆς ἐγράφη μένει· οἱ δὲ τῶν σνκοφαντῶν λόγοι πρὸς τοὺς ἐφ' ἡμέραν καιροὺς λέγονται.

Sycophanta igitur, ut iam supra vidimus eos petit, quos maxime idoneos putat a quibus maiorem minoreve summam extorqueat, quam summam contendit multatam esse pro iis quae quis deliquerit. Ii, quibus iam solus Sycophantae aspectus metum incutit ne peius quid sibi accidat vel qui ingenio indulgere malunt quam omni opera contendere ut ab eo liberentur, rogatam summam concedendo eum dimittunt. Quod si quis non extemplo propensus esset ad summam postulatam solvendam, decedit de consuetudine nihil agendi, et mercatoris vice fungitur, i. e. cum victima sua paciscitur de pecunia solvenda, unde quamquam plerumque non parvo contenti erant, intelligimus tamen quo sensu Plato <sup>2</sup> eosdem vocaverit *viles* (ἐὐτελεῖς). Erat haec civibus insidiandi ratio maxime usitata, eamque ii Sycophantae potissimum ingrediebantur, qui carebant ea peritia vel calliditate qua opus esset ut paullo honestius si in re parum honesta ita dicere fas est, consequerentur quod sibi proposuissent.

Fac vero Sycophantae conatus irritos esse nec ei

<sup>1</sup> De m. gesta legat. 36, 30.

<sup>2</sup> Plato, Crito, p. 45.

rem bene cessisse? Tunc ut sponte intelligitur, in  
 minis non subsistens, actionem homini intendebat sive  
 privatam (*δίικην*) sive publicam (*γραφήν*) prouti reus  
 contra ipsum aut contra rempubl. aliquid deliquisset.  
 Maximum emolumentum Sycophanta capiebat e pri-  
 vata actione, verisimile igitur est eum, data opportu-  
 nitate occasionem non praetermisisse nisi forte simul  
 quaestio esset de politicis consiliis. Attamen negari  
 non potest saepius accidisse ut *γραφή* ab eo institue-  
 retur, quam si institueret Sycophanta hoc saltem com-  
 modum capiebat ut illo munere fungi posset quod  
 lubentissime profitebatur, procuratoris quippe reip.,  
 maioremque haberet probabilitatem causae obtinendae,  
 eo quod iudices, reipubl. institutis periclitantibus, reo-  
 rum parum miserebat. Pecuniam inde non capiebat,  
 at fieri poterat ut is qui accusaretur, quum animad-  
 vertisset in eo esse ut Sycophanta revera se denuncia-  
 turus esset opportunitatem adhuc sibi oblatam non  
 praetermitteret quovis pretio a calumniatore se expe-  
 diendi ne periclitaretur causam perdere, id quod ple-  
 rumque fiebat, licet iustissima esset. Sic c. g. Aris-  
 togiton egit cum Agathone oleario: “quum enim dudum  
 clamitaret et vociferaretur, pro deum atque hominum  
 fidem, et pro concione coelum terrae misceret, quaes-  
 tiones habendas clamitaret, accepta quacunque mercede,  
 quamquam praesens, quum Agatho absolveretur, obmu-

tuit" <sup>1</sup>. Praeterea, quamquam eo ipso tempore ex actione publica nullum emolumentum sycophanta percipere posset, tamen oleam et operam non perdiderat: probe enim sciebat se iis ipsis calumniis in civium favorem venturum; nam quo plures instituebat actiones, eo maiores ei debebat gratias populus, quarum actionum satis persuasum habebat fructus aliquando se percepturum. Ergo maiore minoreve probabilitate pecuniae accipiendae in medio relictæ, Sycophanta genio indulgere poterat neque erat tantopere ei extimescendum ne causa caderet. Atheniensium enim indoles plerumque satis illi rei cavebat: si tamen putaret Sycophanta se non sine multis gravibusque molestiis causam persequi posse, accusationem deserebat ut fecit Aristogiton in causa Demadea <sup>2</sup>.

Incredibile quidem videri potest Sycophantas, quamquam interdum hac illave opportunitate rem malam tenuerint, fere semper insontes in perniciem duxisse. Quod tamen plerumque obtinebat. Demosthenes ubi iudices incitat ut Aristogitonem tot tantorumque scelerum convictum pro meritis puniant, iam expectat eos homini ignoturos esse, eumque impunitum dimissuros, praetextum afferentes necesse esse accusatores publici sint in civitate; eaque ipsa iudicum cogi-

<sup>1</sup> Demosth. in Arist. I, c. 10.

<sup>2</sup> Ibid, c. 10.



tandi et agendi ratio nobis declarat innumeris malis cives pro suis quemque opibus et remp. pro sua salute fuisse obnoxiam. Credimus quidem iudicibus persuasissimum fuisse, se ita agendo optime reip. consulere, neque igitur id est quod gravemur; sed multo magis hoc quod, ut Demosthenes iis obiicit: "maxima eorum pars veniebat in iudicium constituto iam ante secum in utram partem suffragia laturi essent;" quocirca non verebatur orator eos monere Justitiam Jovis solio assidentem oculos in eos conversos habere, attendentem instane an iniusta suffragia ab iis ferrentur. Sponte apparet Sycophantas summam operam dedisse ut illam iudicium, i. e. populi, quem repraesentabant benevolentiam confirmarent. Sycophanta enim "quippe qui nullam rationem habeat neque legitima neque politicae disciplinae" actionem non instituebat suo iure nisus, "omnem vero spem collocat in superbia sua."

Ne autem miremur cives assensos esse illis iudicum sententiis. Quum enim superbirent potestate et libertate sua, non potuit quin delectarentur omnibus conatibus quibus libertatis illius detrectatores (accusati scil.) intra fines continerentur, Sycophantae vero illius libertatis vindices eorum favore quam maxime fruerentur. Populi hac in re animus non latet ideoque non adeo contemnendus iudicasset modo cum aequitate; id vero ipsum erat quod non satis attendebant.

Etenim irae et festinationis (quae vitia recte Diodotus ille apud Thucydidem <sup>1</sup> maxime contraria esse dicit bonis consiliis) culpa non vacasse Athenienses cum aliunde novimus, tum imprimis docemur rebus Mytilenacis.

Quibus si addas parum iisdem fuisse sapientiae et experientiae, nimiam contra ingenii mobilitatem novandique libidinem, sponte intellegitur multas iniurias committi, et accusatorum damnationem aut absolutionem mero casu decerni solere. Quodsi putes Athenienses satis peritos fuisse reip. administrandae, quum nemo esset quin constituto tempore forum adiret, omniumque igitur rerum gerendarum notitiam percepisset, consideres velim maiorem populi partem non id egisse ut in naturam litis inquirerent, immo libidine ductos suffragia iniisse prouti ingenio ferrentur. Praeterea, "si quis populo bonum consilium impertiri sibi proposuisset, necesse erat eum falleret."

His perpensis non temere concludimus populum haud semel a Sycophantis damno affectum esse; Lysias enim de civibus loquens dicit: *τὴν γὰρ τούτων* (scil. *τῶν συκοφαντῶν*) *πονηρίαν ἐαντιῶν ἠγοῦνται σωτηρίαν* <sup>2</sup>; quo insolentiores igitur sese praebebant Sycophantae, eo

<sup>1</sup> III, 42.

<sup>2</sup> Lysias 25, 24.

maiora ex iis capiebant detrimenta non tantum accusati, sed etiam tota resp.; sibi ipsis vero optime consulebant.

Licet non saepissime sermo sit de summis quas Sycophantae popularibus suis extorquerent, nonnulla tamen hac de re afferre possumus.

Lysias <sup>1</sup> de istiusmodi homine dicit: *τριάκοντα μιάς* (*f* 1350) *ἐσυναφάντησεν* <sup>2</sup>; quomodo vero haec perceperit in medio relinquitur; sensus tamen verborum nos eo ducit ut statuamus eum una eademque occasione hanc summam exegisse.

Callias autem, Hipponici filius, Cephisio cuidam 1000 drachmas (*f* 450) solvit, ut deferret Andocidem cui succensebat.

Maioris momenti est alius locus, qui simul probat ea quae supra diximus de Sycophantarum agendi rationibus <sup>3</sup>. Callimachus quidam Patrocleum accusat; re vero cum eo transacta et decem minis (*f* 450) extortis Lysimachum criminatur, a quo item 200 drachmas (*f* 90) extorquet. Postea etiam negotia facessit ei qui hanc *παραγραφὴν* instituit, dicens eum adiutorem esse illius rei cuius duo priores accusantur, deinde omnem

<sup>1</sup> Lysias, Contra Evandrum, 24.

<sup>2</sup> Secundum Böckhii computationem.

<sup>3</sup> Isocr. adv. Call. p. 372 sq.

culpam in oratorem confert. Is initio accusationes illas non multum curabat: Callimachus autem contendit se ab oratore pessime habitum pecuniisque spoliatum esse: tum Callimachi familiares quidam oratorem conveniebant, suadentes ut cum eo controversiam illa transigerent nec male audire mallet aut in magnae pecuniae periculum venire etiamsi optimam causam haberet, λέγοντες ὡς πολλὰ παρὰ γνώμην ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἀποβαίνει, καὶ ὅτι τύχη μᾶλλον ἢ τῷ δίκαιῳ κρίνεται τὰ παρ' ὑμῶν (animadvertas, velim, haec oratoris verba coram iudicibus pronunciata) quodsi vero decidisset parvo sumptu liberatum iri magno periculo. Orator postremo solvit 200 drachmas, sperans in posterum ne sibi iterum a Callimacho molestia aspergeretur. Quod quo melius caveret orator certis conditionibus arbitrum sumpsit. Ac primum pacta Callisthenes servabat, deinde consilio inito cum Xenotimo, die dicta decem millia drachmarum (f 4500) ab oratore postulat. Is vero hanc summam non solvit, optimum ratus hac παραγραφῇ (quam Isocrates pro eo composuit) a iudicibus impetrare ut causa Callistheni denegetur.

Satis vidimus summas hand exiguas fuisse quas Sycophantae poscerent, et e munere τοῦ συκοφαντεῖν idonea emolumenta ab iis, quos huius ipsius muneris non puderet capi posse, quibus victui quotidiano prospicerent.

Sycophanta non tantum in suum ipsius commodum lites aliis intendebat, sed etiam ab aliis sibi eiusmodi negotia mandari patiebatur potissimum ab iis qui, talia despicientes ipsi suscipere nollent. Ne desit exemplum, a Demosthene <sup>1</sup> docemur Midiam Euctemone quodam Sycophanta usum esse per quem Demosthenem *ληποιαξίον* accusaret; dicit enim: “quod igitur deserti ordinis actionem contra me machinatus est, et qui id faceret mercede conduxit, inquinatum illum et nimis expeditum Euctemonem pulvisculum, praetermittam. Neque enim Sycophanta ille mihi negotium facessit, neque iste ullam aliam ob causam conduxit, nisi ut ante heroum statuas exstaret, omnesque viderent: *Euctemon Lusiensis accusavit Demosthenem Paeaniensem desertorum ordinum.* Ac mihi videtur illud, si quo modo licuisset libenter adscripturus, se a *Midia conductum* accusare.”

Andocides <sup>2</sup> dicit inimicos suos non ipsos in medium prodire ut eum accusent, *ἑτέρους δὲ εἰσπέμπουσιν τοιούτους ἀνθρώπους, οἷς εἰθισμένοις ἤδη ἀναισχυντεῖν, οὐδὲν διαφέρει εἰπεῖν τε καὶ ἀκούσαι τὰ μέγιστα τῶν κακῶν.* Sycophantam igitur nequaquam pudet istarum artium, quibus aliis quoque auctoribus ititur dummodo in ipsum aliquid inde lucelli redundet, caque spe susten-

<sup>1</sup> Dem. c. Midiam, p. 547.

<sup>2</sup> De suo reditu, p. 76.

tatus perfert maximas iniurias, quod iam animadvertimus in Sycophanta illo Aristophaneo, de quo egimus supra <sup>1</sup>.

Unum addamus locum. Reus nescio quis apud Lysiam in nota oratione <sup>2</sup> postquam illatum sibi crimen satis refutavit, ita pergit: “equidem vos scire arbitror Nicomachum a meis inimicis instigatum in hanc descendisse palaestram, non quod speraverit me delicti alicujus arguere, sed quod pecuniam aliquam a me auferre exspectaverit.”

~~~~~

Perinde ac in vita privata, ita etiam in vita publica ii qui maxime reformidabant Sycophantas, et, quum eorum insidias privatis remediis fugere non potuissent, coram iudicibus ius suum vindicare conabantur, cives erant, ut ita dicam, non in luce viventes. Ii contra, qui Sycophantis nequaquam morem gerebant, erant oratores et demagogi, quippe qui maxime apti essent ut se ab iis liberarent, sive ut Demosthenes dicit: “qui cum iis conflictari possent”, quapropter idem merito de Aristogitone: “quem enim iste oratorum tanta clade affecit, quanta homines plebeios, quos

<sup>1</sup> Arist. Acharn. 910 sqq.

<sup>2</sup> Lysias, de sacra olea, p. 291.

passim exagitat?"<sup>1</sup> Et quamquam haec omnia per se intelliguntur, Aristogiton tamen Demosthenem ipsum, oratorem eiusmodi negotia expediendi ut opinor satis peritum septies maiestatis reum egerat bisque eundem rationes reddentem accusaverat<sup>2</sup>; si igitur putes Sycophantas non tantum ignotos Athenienses petere solere sed etiam eos qui in luce vivebant ut Demosthenem, hoc solummodo immodicae Aristogitonis impudentiae tribuendum est, quippe qui Sycophanta esset nequam ceteris similis, artes enim eius non tantam vim habuissent, sed erat "caupo improbitatis, mango sordidissimus et propola." Praeterea Aristogiton in iis quas dixi actionibus instituendis semper erat mendacii convictus; Demosthenes enim magnam se dicit habere gratiam diis et universis Atheniensibus qui se servarint, unde videmus Demostheni non defuisse facultatem ad dolos eius hominis frangendos, tantam contra eam fuisse ut Aristogiton experientia edoctus per duos annos huic orationi praecedentes nullam contra Demosthenem actionem intentarit, quod idem valet de Lycurgo Demosthenis collega, qui brevi ante contra eundem orationem habuerat. Noli vero opinari Aristogitonem, etiamsi in posterum a Demosthene, Lycurgo, virisque horum similibus manus abstinerit,

<sup>1</sup> c. Arist. I, Cap. 9.

<sup>2</sup> Dem. ibid. c. 9.

prorsus a calumniando destitisse: immo vero, homines inferioris conditionis, quos sibi impares esse probe noverat furiose persecutus est, ut "miserum Phocidem, fabrum quemdam aerarium Piraecnsum, et coriarium" quapropter merito ab oratore vocabatur *canis populi*, is nempe, qui lupos non mordeat, inermem vero gregem, quam se tueri profitetur, devoret.

Inde optime Sycophantae integritatem et iustitiam agnoscimus quod si quando absolveretur non actionem instituebat contra eum qui se detulisset, quod tamen potissimum exspectasses ab isto falso iuris alieni defensore.



§ 4.

**SYCOPHANTA INTER SOCIOS.**

---

Sycophantas quum obscuriores imprimis cives peterent, nec tamen a viris primariis abstinerent, mirandum non est avide quamque opportunitatem arripuisse Atheniensium sociis insidiandi.

Quum vero illa quaestio cohaereat cum sociarum civitatum et coloniarum historia et conditione, non videbitur a proposito meo alienum si paucis haec lectori in memoriam revocavero <sup>1</sup>.

Ut Graeciae civitates, quae nullo arcto vinculo inter se junctae erant, Persis melius resisterent, per breve tempus Sparta earum tenuit principatum donec Pausanias superbia et arrogantia sua civitates socias ipsamque Spartam a se alienavit. Inde hae civitates pro Sparta Athenas ducem elegerunt, quod ut facerent

---

<sup>1</sup> Cf. hac de re Doct. Schneiderhahn, Programm des Gymn. in Rottweil, 1865—66.

etiam aliae causae eas moverunt, virtus nempe et integritas et continentia Atheniensium nec minus Aristidis prudentia. Nec tantum in praesenti rerum statu sed etiam in posterum id agendum erat ut omnia parata essent quibus barbarorum invasionem averterent, quocirca inter ipsas convenit ut a quaque civitate pro suis viribus pecuniae necessariae conferrentur. Sumptus a singulis civitatibus impendendos constituit Aristides, quo munere tam bene functus est ut omnes civitates distributione proposita contentae essent; simul utile visum est ut summae collatae deponerentur in neutrius partis territorio, insula Delo.

Haec rerum ordinatio aequitate nisa optimos tulit fructus, dum Aristides et Cimon rebus praeerant, nam his moderantibus reipubl. nulla civitatum sociarum defecit, et summae constitutae licet modicae suppeditarunt ad bellorum sumptus. Pericle vero res gubernante haec omnia prorsus mutata sunt; democraticae enim partes altiores sumpserunt spiritus non modo Athenis sed etiam inter socios, unde factum ut ubique populares optimatibus essent infestissimi, nec tantum optimates in suis quique civitatibus sed etiam Spartam optimatrum fautricem magis quam barbaros haberent pro adversariis.

Initio Athenienses miserunt legatos qui redditus et naves a sociis conferendos conquirent: mox vero

hi legati temporales evaserunt gubernatores vel magistratus stabiles nec tantum iis quas dixi rebus operam dabant, sensim vero provinciam suam extendebant, universis sociorum negotiis se immiscebant, praecipue ab iis qui a Spartae et optimatum parte stabant, minis adhibitis pecuniam extorquebant; postremo, id quod nunc imprimis animadvertendum, iurisdictionem sociis abstulerunt et omnes res maioris momenti ad Atheniensium tribunalia detulerunt. Inde profluxerunt maximae difficultates: actiones ipsae, longa interdum via interposita, differebantur; reis nulla erat indemnitas sumptuum itinerariorum; iudices Athenienses actionis ipsius ignari, duci se patiebantur a peritissimis oratoribus, unde accusato oriebatur necessitas ut multa pecunia talem oratorem sibi quasi emeret, nec minus ceteros oratores sibi conciliaret ne hi negotia sibi facessero; porro, iudices ex aerario pro rebus iudicandis accipiebant mercedem, quocirca fieri non potuit quin, quo plures, eo gratiores ipsis essent actiones institutae; quare non miramur queri subinde socios iurisdictionem Athenas delatam esse, nullam aliam ob causam quam ut iudicium marsupiiis consuleretur. Eandem ob rem Euelpides et Pisthetaerus <sup>1</sup> sibi quaerunt domicilium:

---

<sup>1</sup> Arist. Aves 146 sqq.

μηδαμῶς

.....παρὰ θάλατταν, ἵν' ἀνακίψεται

κλιτῆρ' ἄγοιτο ἔωθεν ἢ Σαλσμινία.

Denique, ut dicitur de Rep. Ath. 1: οἱ σύμμαχοι δούλοι τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων καθιστάσι μᾶλλον.

Haec igitur erat conditio qua socii Atheniensium utebantur, unde colligere possumus quanto furore Sycophantae, qui ne civibus quidem suis parcere solerent, hos miseros omni dolorum et astutiarum genere illaqueaverint. Facile autem intelligitur plerumque hos miseros eorum fallaciis succubuisse, tum propter legum iurisque Attici ignorantiam tum ob insolentiam machinarum et artium, quibus rabulae isti homines simplices facili negotio irretiebant. Neque igitur est quod miremur socios vix ullam occasionem praetermississe qua se Atheniensium societati subtraherent, et Athenienses solos relictos esse eo tempore quo sociorum auxilio quam maxime indigerent. Cuius rei testis est Demosthenes <sup>1</sup>: "Tenedios enim aiunt nihil curare nostram civitatem, idque per Theocrinem esse factum. Calumniis enim per istum appetiti illis temporibus, quibus eorum alii Philippo, alii Atheniensibus studebant, cet."

Huiusmodi Sycophantarum exactionum praebet exemplum Aristophanes <sup>2</sup>. — Inter eos qui officia sua

<sup>1</sup> c. Theocr. p. 1334.

<sup>2</sup> Aves 1410 sqq.

Nepheleococcugiae incolis offerunt, aut alas sibi praebere cupiunt est quoque Sycophanta. Quodnam alarum genus nanciscatur nihil se dicit curare; κλήτορα se esse insularum, Sycophantam et perscrutatorem actionum atque litium; alis instructum omnes se urbes abeundo incolas earum deferre posse; non quo alatus commodius munere suo fungatur, sed ne sibi mare transeunti piratae facessant negotia atque una cum gruibus redeat lapillorum loco delationum copia onustus. Pisthetaerus opinatur a iuvene vel magis abesse ut peregrinos (quod impudentius etiam est quam Athenienses) iniustis vexationibus persequatur. Dissentiens ab eo Sycophanta, quam aliam inquit artem exerceam qui ne fodere quidem didicerim. Pisthetaero in medium proferente alias insuper artes esse, quae ab eo quippe iuvene addisci possint, noli me inquit monere, sed actutum instrue alis.

Pisthetaerus igitur quasi morem ei gesturus ad altiora eum evehet, monitis scilicet et utilibus consilia, quae tamen Sycophantae non placent, qui non vult munus deserere quo maiores et familiares etiam functi sunt. Quaerit igitur alas quibus urbes obeat, redeat ad nomina accusatorum apud magistratus deferenda, rursus eodem consilio ad insulas proficiscatur (quod dum facit delati ex urbibus Athenas adveniunt) vel potius ut Pisthetaerus addit, ut bona clam surri-

piat eorum, qui eodem tempore Athenis sunt. Confitetur Sycophanta Pisthetaerum optime intellexisse id quod velit: hic igitur eum instructurus est Corcyracis alis (ubi Corcyrae, dicit Scholiasta, seditiones factae erant, ut saepe fiebat, sontes flagellis puniebantur), quod si fecerit, circuli instar moveri poterit. "Apage in malam rem" inquit Pisthetaerus, quo dicto ei alampam infligit.

§ 5.

**SYCOPHANTARUM CONSOCIATIONES.**

---

Etiam si quod sciam apud veteres nulla fiat diserta mentio collegia quodammodo sycophantarum exstitisse, e variis tamen locis effici posse perhibemus tales consociationes non defuisse. Nec mirum. Perinde ac, ut boni quid fiat, probi homines foedera ineunt, ita homines deterioris notae vel magis suo invicem auxilio indigent quum in aliis rebus tum praecipue in iudiciis et ecclesiis Atheniensium.

Sycophanta qui in Aristophanis Pluto <sup>1</sup> perstringitur, nullam habet opportunitatem eo ipso tempore ubi exit circumstantes ulciscendi; at *ἐάν* inquit *σύζυγον λάβω τινά καὶ σύμνον*, Deus poenas dabit. Vocabula *σύζυγος* et *σύμνος* nihil aliud sibi volunt quam is qui merito sive immerito Sycophantae auxiliaturus

---

<sup>1</sup> vs. 945.

est ut causam teneat, ut etiam Hemsterhusius vertit: "at si consortem aliquem invenero, meisque sycophantae moribus simillimum, efficiam, cet."

Ubi Demosthenes <sup>1</sup> dicit Neacrae marito Stephano, qui Sycophanta est, nullam rem familiarem esse qua victui quotidiano prospiciat, inter varias artes nefarias quibus familiae necessitudinibus succurrere conatur refert *eum subscribere aliorum delationibus: alii illi, qui accusationes deferebant eiusdem generis ac Stephanus essent, necesse est: nam sin minus isto usi non essent ad causae suae iustitiam demonstrandam.*

In Demosthenis oratione iam saepius citata c. Arist. inter Aristogitonis facinora affertur eum accusationem contra Hegemonem vendidisse; verisimile est eum sic fecisse quia sibi esset parva spes causae tenendae, vel fortasse quia metueret ne minus lucri ex actione repetiturus esset quam speraverat; utut est, actionem transtulit alicui minore lucro contento, aut spem fovendi fore ut ex Hegemone aliquid praeterea extorqueret vel damnationem eius efficeret. Inde igitur mihi apparere videtur Aristogitoni cum eo cui actionem vendiderat fortasse etiam cum pluribus similis notae hominibus commercium fuisse.

Supra iam vidimus <sup>2</sup> nonnullos vexatos a Cal-

<sup>1</sup> In Neaeram, p. 1359.

<sup>2</sup> Isocr. adv. Callim., p. 372 sq.



limacho inter quos eum qui *παράγραφην* illam recitavit. Orator initio haec non valde moratus est, post autem sibi persuaderi passus est ut parva pecunia ab isto calumniatore liberaretur. Quod ut faceret ei non persuaserunt ipsius amici, sed quidam e Callimachi sociis (*τῶν χωρμένων τινὲς τούτῳ*); satis enim apparet instigante Callimacho eos egisse, sperantes fore ut sibi pars praedae obtingeret. — Postea vidimus Oratorem iterum vexari ab eodem Callimacho, socium adhibente Xenotimum quemdam. Hunc autem Calimachus ideo testem (falsum absque dubio) assumpserat, ut eum Oratoris testi opponeret, quem hic superiore opportunitate advocaverat, quum 200 illas drachmas solveret.

In verbis Demosthenis <sup>1</sup>: “quamquam enim Theoclines, o Iudices, sui que gregales nihil non fecerunt appellandis testibus, iis partim minitantes, partim pollicentes, ne testimonium dicant....” duae res animadvertendae sunt: primo loco, quales inierit vias Sycophanta ut causam teneret, testibus partim minitans, partim pollicens, modo ne se actioni immisce- rent; secundo loco, non tantum ab eo ipso sed etiam a gregalibus (*οἱ μετὰ τούτου*) id fieri.

Loci allati, ut nobis videtur, satis pugnant pro iis, quae supra perhibuimus, imo vero, locus modo

<sup>1</sup> c. Theoclinem, p. 1323.

laudatus eo nos ducere videtur ut statuamus semper fere sycophantas sibi invicem auxiliatos esse, etiamsi consociatio non diserte memoretur; sic enim pergit <sup>1</sup> Demosthenes: “Neque enim raro vidistis eos in foro et suggesto prae se ferre inimicitias, privatim autem colludere, partiriue largitiones, atque aliquando conviciari inter se, et extremis invicem probris afficere, paulo post dies festos agitare, et sacra habere communia. Neque horum quicquam est miratu dignum. Nam et natura sunt improbi et tales velitationes vident a vobis approbari. Quare quid vetat, quominus his artibus decipere vos instituant?.... Nonne palam illi vobis illudunt, qui eos quasi sibi inimicos audiatis?” Hoc saltem constat iudices saepe a recta via esse deductos et accusatorum conditionem deteriore evasisse.

~~~~~

Quaestio alia haec est, an hae Sycophantarum consociationes quoque nomine politicarum illarum societatum significari possint quae Athenis haud rarae erant et *ἐταίρειαι* dictae sunt?

Etiamsi Plato et Aristoteles saepissime hoc vocabulo utuntur, numquam tamen significationem vel sensum *ἐταίρειας* politicae addunt, ita ut secundum

---

<sup>1</sup> l. l. d. 1335.

veteres dijudicare non possimus quatenus sit aliqua similitudo *ἐταρσίας* inter et consociationes de quibus vidimus. Videndum nobis igitur quid recentiores hac de re sentiant <sup>1</sup>.

HÜLLMANN <sup>2</sup> putat eas nihil aliud esse nisi collegia sive societates ad corrumpendum initas: longe abest ut credamus unicum id earum consilium fuisse.

HERMANN <sup>3</sup> et WACHSMUTH <sup>4</sup> putant eas esse congregationes oligarchicas. SCHÖMANN <sup>5</sup> maxima pro parte iis assentitur, quamquam a se ipse dissentit ubi <sup>6</sup> dicit *ἐταρσίας* profluxisse ex eorum conatibus qui populi vitii faverent, quia integris moribus rerum potiri desperarent.

Perfectam vocis *ἐταρσίας* definitionem afferre nobis *ἀδύνατον* videtur, primum ob varias significationes quibus usurpatur, deinde quod fontes parum accurate hac de re nos docent: opinamur *ἐταρσίαν* politicam saepissime tum locum obtinuisse, ubi alterutra populi parte summam potestatem tenente, altera sive merito sive immerito se oppressam putans, prioris su-

<sup>1</sup> Vid. Bürtner, Geschichte der polit. Hetärieen in Athen, Leipzig, 1840.

<sup>2</sup> Staatsrecht des Alterth., p. 144 sqq.

<sup>3</sup> Staatsalterth., § 70.

<sup>4</sup> Hell Alterthumskunde, I, 2, p. 102 et p. 441 ubi dicit: "das Zusammentreten zu antidemokratischen Umtrieben erzeugt eine Hetärie."

<sup>5</sup> Antiquitates iuris publ. graecorum, p. 101.

<sup>6</sup> p. 349. — Cf. praeterea VISCHER, über die oligarch. Partei und die Hetärieen in Athen.

perbiam vel arrogantiam coercere studebat coniunctione quadam constituenda; — quum popularium pars plerumque summum teneret, inde sequitur *ἐταίριαι* socios fuisse optimates. Pari potestate et auctoritate non contenti hic non subsisterunt sed plura continuo appetebant donec pro ductis ductores evasissent.

Quod ad sycophantas attinet, nobis non proposuimus ut probaremus eorum consociationes quas supra memoravimus ad unam omnes *ἐταίριων* nomine notandas esse, nec assentimur HULLMANNO putanti nihil aliud eas sibi proposuisse nisi corruptelam: perhibemus tamen fieri potuisse ut huius illiusve *ἐταίριαι* socii vel omnes vel plerique sycophantae essent, ita ut hoc sensu dici possit exstitisse *ἐταίριαι* quoque Sycophantarum.

§ 6.

**SYCOPHANTAE ET DEMAGOGI.**

---

Opportunitates nobis non defuerunt cognoscendi quantam vim Sycophantae in negotiis publicis universaque vita publica exercuerint. Plurimum quidem valebant in iudiciis, ut demagogi in ecclesiis, nec tamen ulla re impediabatur Sycophanta quominus in ecclesiis quoque omnia turbaret; potissimum autem ibi metuendus erat si qui sycophanta idem demagogus esset, aut cum demagogo se sociasset. Hoc enim saepe locum obtinuit ubi populo decernendum erat de publicis causis ad universam civitatem pertinentibus ut in *γραφῆ παρανόμων*<sup>1</sup>, vel in *γραφῆ ἀσεβείας* ubi res sacrae et res politicae inter se junctae praebebant iis optimam occasionem populi exagitandi et perturbandi.

Quum hermocopidarum actio, caussa Socratis

---

<sup>1</sup> Wachsmuth, § 64, p. 157.

aliaque eiusmodi hanc rem optime demonstrent, luculentissimum exemplum ex iis eligere lubet, quamobrem a proposito nostro non alienum nobis videtur actionem illam breviter enarrare <sup>1</sup>.

Matutino tempore d. 11. m. Maji a. 415, ut docent chronologi, Athenis fama percrebuit hermas, quorum magnus numerus in foro eaque vicinitate erat, praeterita nocte esse mutilatos. Populus a senatu extra ordinem convocatur. Latere delinquentes. PISANDER ad populum ferre ut praemium 10,000 drachmarum decernatur ei qui primam delationem fecisset. Senatui plena fieri agendi potestas (*ἡ βουλὴ γίνεταὶ ἀντοκράτωρ*). Deligi qui in rem inquirant, in his Diognetus, Charicles et Pisander (Horum duorum facta nos eo ducunt ut suspicemur eos eo tempore populi non tam amantes fuisse, quam haberentur). Nulla tamen fieri delatio; senatus et populus saepius convenire, postremo fit populiscitum: "si quis sive civis sive peregrinus sive servus cuiuscunque sceleris in religionem commissi conscius sit, deferto, impunitate promissa." CLEONYMO demagogo rogante praemium 1000 drachmarum decernitur secundae indicationi, neque id meliore successu. Hebdomadibus aliquot praeterlapsis, ut verisimile est d.

---

<sup>1</sup> Vid. egregia disputatio quam scripsit DROYSEN, des Arist. Vögel und die Hermokopiden, Rhein Museum, III, 161—208; IV, 27—62. — HERTZBERG, Alhibiades, cet. p. 164 sqq.

10. m. Junii habentur comitia quibus populus mandatis instrueret praefectos classis quam in Siciliam mittere decreverat, quae classis extra portum stabat in ancoris.

His igitur comitiis *PYTHONICUS* quidam assurgens coram populo dicit se planum facturum Alcibiadem, unum trium praetorum qui classi praeerant in privata quadam domo sacra Eleusinia una cum aliis ludibrii causa factitasse, idque impunitate concessa confirmat *ANDROMACHUS* (*Polemarchi servus*) Alcibiadem autumans una cum profanis et servis (quibus se et ipsum interfuisse) in domo *Polytionis* sacra Eleusinia esse imitatum. E denario delatorum numero, quem *Andocides* memorat <sup>1</sup> octo in contumaciam damnati sunt, nonus in urbe mansit et postea morti datus est; decimus, *Alcibiades*, peti non poterat, quippe cui imperium iam mandatum esset.

Aliae mox denunciationes secutaë sunt. *TEUCER* quidam Megaris senatui scripsit se, si impunitatem adeptus foret, omnia indicaturum, quae de sacris profanatis nosset, quippe qui ipse istius sceleris consors fuisset et etiam de *Hermis* mutilatis (putant autem nonnulli *Hermarum* mutilationem, quam *Teucer* voluit, non eandem esse ac eam, quae locum habuerat d. 11. m. Maji). *Teucer*, impunitate impetrata, Athenas reversus

---

<sup>1</sup> de *Mysteriis*, § 13.

duodecim cives, in quibus tamen non erat Alcibiades, defert a parte optimatum stantes: hi quoque fuga salutem quacsiverunt.

AGARISTE Alcmaeonidis uxor nuntiavit Alcibiadem una cum aliis in domo Charmidis sacra factitare solere: Alcibiades unus mansit, ceteri fugam capessiverunt.

Postremo LYDUS servus indicavit in domo heri sui clam sacra facta esse. Ne hic quidem in eorum numero, quos sacris interfuisse testabatur, nominavit Alcibiadem, sed Andocidis patrem Leogoram, quem pallio involutum affuisse. Delatos Speusippus senator tradidit iudicio; Leogoras vero, vadibus datis actionem orsus est contra Speusippum *παράνομον*, quo factum est ut absolveretur, Spcusippo e numero sexies mille civium ne ducenta quidem suffragia ferente.

Factis delationibus redduntur delatoribus praemia, decies mille drachmae Andromacho, Feucro mille (etiamsi Pythonicus primum praemium sibi ipsi decretum voluisset, quippe qui primus populo opportunitatem dedisset denunciationis audiendae).

Multum autem abest ut Athenienses, quod crederes, sontibus compluribus punitis, hic substiterint; namque Alcibiadem prae ceteris vel potius unum petebant. Qui quum Athenis remanendo speciem saltem innocentiae sibi dedisset, aliud quid excogitandum erat quo eum irretirent, idque eo magis, quia propter im-



perium *γραφῆ ἀσεβείας* peti non poterat. Sociis *ἐταιριῶν* clam insidiantibus, ANDROCLĒS demagogus prae ceteris omnem lapidem movit, animosque civium perturbabat, donec *εἰσαγγελία* instituta est, qua accusabatur Alcibiades quod hetaeriam constituisset ad res novas molientes, cumque eius sodalitiī sociis sacra factitasset. Hac denunciatione ad se delata senatus populum extra ordinem convocatum (neque enim erat tempus istiusmodi rebus destinatum) rogavit vellet iuberet statim rem decerni an differri in posterum. Alcibiades assurgens dixit sibi gratissimum esse ut statim res diiudicaretur. Hoc vero non id erat quod volebant adversarii, qui speraverant populum tantopere ei iratum fore ut mandatum munus per *ἐπιχειροτονίαν* ei auferretur; qua spe quum excidissent, praetextu usi ducem tanta potestate instructum nequaquam lite retinendum esse cuius disceptatio in posterum differri posset, contio dimissa est, etiamsi Alcibiades ne illud fieret omnem operam dedisset, vere secum reputans extrema inde sibi esse metuenda.

Rebus sic se habentibus vela dedit in Siciliam. Nec tamen eius adversarii, ut sponte intelligitur a proposito suo destiterunt: fama percrebuit hermarum mutilationem non paucorum esse sed ad status popularis eversionem pertinere; multi inde in carcerem coniecti sunt, tota civitas trepidabat, plebeii e foro aufugiebant, metuens quisque ne comprehenderetur.

Inopinato exeunte mense Julio eiusdem anni DiocliDES ad senatum nuntiavit se nosse qui Hermas illa nocte mutilassent. Ad pensionem enim mercedis accipiendam a servo quem in Laurio argentifodinis suis praepositum haberet, de nocte se surrexisse narrabat, iterque facientem vidisse, fuisse enim plenilunium, ad trecentos homines ab Odeo in Orchestram descendentes (erat autem ibi numerus mutilatorum Hermarum maximus), eorumque globatim stantium plerosque agnovisse, unde, simulac de mutilatis hermis accepisset, horum facinus esse se intellexisse. Postmodo ubi redux in urbem audivisset praemium indicinae centum minas esse promulgatum se adiisse Euphemum, et cum hoc, cum Leogora, ejusque filio Andocide atque aliis quorum interesset eam rem celari pactum esse ut sibi proximo mense centum viginti minas solverent, ea conditione ut omnia sileret: sua enim nihil interesse aiebat iine praemium sibi solverent an praemio delatorio publice ornaretur; eos vero fidem non praestitisse, quocirca se nunc indicare omnia quae comperta haberet.

Quibus dictis edidit nomina eorum quos nocte ista se agnovisse aiebat, duo et quadraginta numero, in quo erant duo Senatores in curia assidentes: hi vero vadibus datis fuga quaesiverant salutem, unde factum ut vades destituti iisdem poenis tenerentur

quibus vadati damnati fuissent; quadraginta ceteri comprehensi et tormentis subjecti sunt.

Civium animos his omnibus admodum esse excitos, eamque perturbationem etiam maiora incrementa sumpsisse quum senatus summopere eniteretur ut et ceteri 258 quorum nomina a Dioclide non delata erant poenas darent, non est quod dicamus; justane esset Dioclidis delatio annon, nemo fere curabat; ipsum autem veluti civitatis sospitorem rheda vectum in Prytanaeum arcessebant, ubi coronaretur unaque cum prutanibus coenaret.

Proxima nocte matres uxores sorores in carcere conjectorum — quorum maxima pars Audocidi cognati erant — eos adierunt suisque lamentis id effecerunt ut unus e vinctis ANDOCIDI persuaderet ut impetrata publice venia omnia proderet quorum sibi conscius esset: quum ei enim a permultis culpa imputaretur, facile eam ipsam ob rem iudices fidem habituros; si ita fecisset se ipsum suosque cognatos servaturum. Cui morigeratus ad Senatum et inquisitores nuntiavit se nomina nosse eorum qui scelus perpetrassent: quo facto eosdem detulit quos Teucer detulerat.

Andocidis denunciatio delationi Dioclidis e regione erat opposita: nec multis opus erat verbis ut mendacii convinceretur Diocledes, idque eo apertius erat reputantibus tempore hermarum mutilatorum lu-

nam fuisse novam, non vero plenilunium, ut Diocliides protulerat, neque ergo auctores mutilationis distinguere potuisse. Itaque negata quam deprecabatur venia, eum morte mulctarunt. Vinculis inde liberati quis Diocliides tradiderat, dataque iis, quorum nomina non ab Andocide sed antea delata fuerant, quique maxima pro parte exulabant, redeundi potestas; quatuor autem alii ab Andocide quidem non vero antea delati fuga sibi consuluerunt. Utrum Andocides se ipsum detulerit necne, discrepant hac de re auctores: verum res est exigui momenti.

Quies autem qua civitas tantis terroribus erepta aliquamdiu fruebatur non diuturna erat; Alcibiades enim ne ab Andocide quidem inter Hermarum mutilatores nunciatus erat, quapropter aliam viam ingrederentur adversarii necesse erat ut tandem eum plecterent. Ob sacrorum autem violationem in Polytionis domo iudicio peti non poterat: populus enim iusserat de hac re non prius iudicatum iri quam expeditio in Siciliam ad finem perducta foret. Quid igitur? THESALUS quidam unus ex optimatibus ad senatum nuntiat suae domi Alcibiadem sacra factitasse: parum nempe curabant vera an falsa esset ea delatio, neque magis reputabant nihilo graviolem hanc esse illa, quae ante Alcibiadis profectionem facta erat, dummodo ita nanciscerentur eius revocandi praetextum. Neque ea spe

exciderunt optimates: nam populo placuit ut Salamina quae domum imperatorem accesseret in Siciliam mitteretur; quum vero ea triremis sine Alcibiade, quippe qui aufugisset, esset reversa in contumaciam capitis damnatus est eiusque bona publicata.

Universa actio ipsa — licet sit iusto obscurior — hoc tamen satis declarat quatenus demagogi et sycophantae sibi invicem opitularentur modo proposita consequerentur.

Quod supra diximus, id unum spectabant ut ab Alcibiade se expedirent; hermarum mutilatione toties usi sunt quoties aliquid novi contra Alcibiadem excogitandum esset. Haec autem opportunitas vel magis eo idonea erat quod multi sacra violari aegre ferrent, quamquam ob politicas causas tali re adeo offensi non fuissent; jam saepius enim a petulantibus iuvenibus, qui ebrii nocturno tempore domum redibant, talia perpetrata erant, tunc vero offendit maior numerus mutilatorum hermanum. Hac igitur usi sunt occasione quum optimates iam dudum rerum commutationem sibi optantes, tum populares quos non minus Alcibiadis pertaesum erat, quippe qui omnia sibi vindicaret, nullum vero locum ipsis reliquisset. Utraeque igitur partes idem spectantes populum perturbabant non tantum hermarum mutilatione ipsa sed etiam famam pervulgando cum mutilatione arte conjunctam

esse eversionem democratiae, et tyrannidem appeti ab Alcibiade. Etiam si enim optimates eversionem illam magnopere exoptarent, veram animi sententiam populum nunc celarent necesse erat, quocirca praesenti rerum statu satis se contentos esse simulabant.

Illum autem rumorem quo probabiliorem redderent inter alia afferebant duos illos Senatores a Dioclide delatos confugisse Spartam, eodemque tempore Spartanos milites visos esse in Isthmo eorumque consilium hoc fuisse ut Athenas peterent. Eiusmodi machinationibus securitatem commoda res vitam adeo tot civium in discrimen dabant, modo unum illum perderent: idque ut perficerent eo acrius iis contendendum erat, quo minus iustum aliquod crimen reperire valebant. Non enim probatum est, nec unquam probabitur, ut opinamur, Alcibiadem fuisse inter hermarum mutilatores; contra, eorum virorum doctorum sententiae assentimur, qui putent eum non adeo agrestem fuisse, ut tanto temporis discrimine tam inani et periculoso lusui se tradidisset, quum probe novisset omnium oculos in se conversos esse ob superbiam qua populum satis superque lacessiverat sibi in posterum abstinendum esse ab eiusmodi nequitiis, ne populi iram in se suscitaret. Sacrorum vero celebrationi, licet ne sic quidem statuere ulla re cogamur, fieri tamen potest ut interfuerit: haec enim inter amicos fieri solebat,

quocirca non tantopere metuendum erat ne talia foras eliminarentur.

Habebant igitur tandem quod quaesiverant: non vero parvo pretio id esse comparatum ex omnibus quae attulimus colligere licet, etiamsi accurate id definire nequeamus.

ANDROMACHUS (Polemarchi servus) decem haec nomina detulit: Alcibiadem, Niciadem, Meletum, Archebiadem, Archippum, Diogenem, Polystratum, Aristomenem, Joniam, Panaetium; — horum octo fugam ceperunt; Polystratus autem, qui in urbe remansit capitis damnatus est <sup>1</sup>.

Duodecim illi quos TEUCER sacrorum profanatorum accusavit fugam ceperunt <sup>2</sup>; duodeviginti illorum, quos hermarum mutilatorum reos fecit (inter quos Meletus ab Andromacho denunciatus) alii fugam ceperunt, alii morte puniti sunt <sup>3</sup>.

Alcibiadem, Axiochum, Adimantum detulit AGABISTE: duo postremi fugae se dederunt <sup>4</sup>; etiam plures plures eadem fortuna usos esse verisimile est ex Andocide ubi dicit: ἔφευγον οὗτοι πάντες; de duobus sic non locutus esset, quapropter multum probabilitatis

<sup>1</sup> Andoc. de myster, 13.

<sup>2</sup> Ibid. 15.

<sup>3</sup> Ibid. 34.

<sup>4</sup> Ibid. 16.

habet coniectura Droyseni <sup>1</sup>, indicem in Andocidis textu deperditum esse.

Ex LYDI delatione Acumenus et Autocrator fugam ceperunt (fortasse et alii); de Andocidis patre Leogora supra iam vidimus, quod idem valet de Andocidis denunciatione Dioclidis mendaciis plane opposita.

Ubi supra vidimus nonnullos id summopere studuisse ut praemia delatoria proposita in se conferrentur adeoque de eorum addictione dissensionem exortam esse, perspicimus magnam quam habebat pecunia vim praeterea in Dioclido confitente se ab Alcibiade Phegusio et Amianto Aegineta corrumpi passum esse ut deferret 300 illos quorum 42 tantum nomina revera detulit. Ipse igitur confitetur se falso denunciasset, et quamquam inde non certe sequitur Audodidis delationem fuisse justam, magnam tamen ei habemus fidem, quia satis quadrat in Teucris delationem, cui si prorsus contraria fuisset, id postea credo apparuisset: et quod pluris momenti est, Andocides non eo impudentiae progressus esset, ut 15 annis post eosdem in oratione de Mysteriis memoraret, quos antea detulerat.

---

<sup>1</sup> l. l. III, 195.



§ 7.

**SYCOPHANTARUM COERCENDORUM  
RATIONES.**

---

**I**is, qui e praecedentibus agnoverint Sycophantarum vim tam in publicis rebus quam in privatis fuisse maximam, nulla opus est argumentatione qua demonstratur omnes probos summopere enisos esse ut ab eorum insidiis liberarentur.

Deinde, supervacaneum nobis videtur disserere de historia Sycophantarum, id est, quaenam incrementa labentibus temporibus sensim sumpserint; quum enim veterum assentiamur sententiae nullum fuisse locum democratiae sine sycophantis, inde sequitur incrementum Sycophantiae eundem habuisse tenorem cum degenerante democratia. Quo tempore igitur civitatis instituta et leges quondam constitutae maxime servabantur, eo tempore sycophantia minime florebat: quum vero leges illae negligebantur, alias quoque leges, veluti eas quae contra Sycophantas erant latae,

quae igitur eo valebant ut perversis studiis in civitate obviam iretur, neglectas esse, non est quod miremur.

Libenter igitur assentimur iis quae PAULY<sup>1</sup> dicit: “die Fälle scheinen nicht sehr häufig gewesen zu sein, in denen gegen dieses Verbrechen ein Rechtsverfahren eingeleitet wurde,” si saltem ad hunc rerum statum explicandum non tantum spectat exiguam vim legum, verum etiam actionis instituendae molestias quas praebebat Sycophantarum astutia. Dissentimur autem ab eodem ubi paulo ante dicit: “dass die Sycophantie vom politischen Standpunkte aus in der öffentlichen Meinung nichts Unehrenhaftes hatte” — quae ut probet, affert Aeschinem<sup>2</sup>, de cuius loco infra agendum est — nisi vocabulis “öffentliche Meinung” intelligi velit spem vulgi nihil habentis quod amittere possit, multa contra sperantis, aut nisi existimet munus patroni causarum improbarum, ut vernaculo more dicam, vel foeneratoris honesto homine non indignum esse habendum.

Eandem sententiam tueri videtur W. A. BECKER<sup>3</sup>, adeoque probare conatur posteriore i. e. Aeschinis tempore τὸ συκοφαντεῖν μισθοῦ nullis legibus vetitum fuisse: crederes igitur sycophantis nihil fuisse me-

<sup>1</sup> Real-Encycl. in voce.

<sup>2</sup> c. Timarchum, § 30.

<sup>3</sup> Charicles I, 112 Annot.

tuendum ne sibi eo munere fungentibus quisquam aut quicquam obsisteret; quod si verum est, secum tamen pugnare videtur ubi pergit: "die erwiesen verleumderische Anklage wurde nun zwar wohl bestraft, allein das Gewerbe selbst war wenigstens in späterer Zeit schwerlich gesetzlich verboten." Etiam magis miror eum sic concludisse: "in des Redners Zeit hatte sie schwerlich etwas auffallendes oder war wenigstens nicht verboten." — Utut est, Beckero omni dubio maius fuisse videtur nullas eo tempore extitisse leges contra τὸ συκοφαντεῖν μισθοῦ.

Disputationis suae initium ducit e loco Isocratis<sup>1</sup>: οὕτως ἐπὶ γε τῶν προγόνων οὕτως εἶχεν, ἀλλὰ τοὺς μὲν καλουμένους σοφιστὰς ἐθαύμαζον καὶ τοὺς συνόντας αὐτοῖς ἐξήλουν, τοὺς δὲ συκοφάντας πλείστον κακῶν αἰτίους ἐνόμιζον εἶναι. . . . . περὶ δὲ τῶν συκοφαντῶν χαλεπωτέρους ἢ περὶ τῶν ἄλλων κακουργιῶν τοὺς νόμους ἔθεσαν: et infra κἀκεῖνοι μὲν οὕτως ἐγίγνωσκον περὶ αὐτῶν, ὑμεῖς δὲ τοσοῦτον ἀπέχετε τοῦ κολάζειν αὐτοὺς, ὥστε ταῦτοις χρῆσθε καὶ κατηγοροῖς καὶ νομοθέταις περὶ τῶν ἄλλων. His Isocratis verbis accommodatum iudicat Becker Aeschinem inter iura politica quae ἡταιρημένοι εὐιδam auferuntur citare: μηδὲ συκοφαντεῖτω μισθωθεῖς.

Quod ad Isocratis locum attinet, quae antea

<sup>1</sup> De permut. § 313.

diximus plane cum eo contentiunt: ubi dicit (§ 315) tantum afuisse ut aequales sui Sycophantas punirent ut potius iisdem uterentur legislatoribus, ibi exprobrat Atheniensibus parvam sedulitatem in legibus tuendis, iisque suadet ut Sycophantas ita coerceant, ut legislatoris munere non diutius fungi *possint*: quamdiu enim capite diminuti non essent ex aliqua iudicum sententia, fruebantur iure civitatis.

Ad locum Aeschinis eo, quem Becker vult, sensu explicandum, ei concederemus necesse esset omnes de Sycophantia leges Aeschinis tempore esse sublatas, nullas ergo poenas ad eam castigandam exstitisse, nee tantum hoc, verum etiam Athenienses prorsus hac de re sententiam mutasse; ita ut id, quod antea gravissimis legibus coercere fuerant conati iustum adeo atque honestum habere quodammodo coepissent. — Leges contra sycophantiam quae antea exstiterunt sublatas esse, nobis e nullo loco innotuit: praeterea, veteres leges si abrogarentur, earum locum novae leges explerent necesse erat ut docet HERMANN<sup>1</sup> ad Demosthenem<sup>2</sup> provocans: “jeder Einführung eines neuen Gesetzes sollte ausdrückliche Aufhebung des alten vorhergehen, jedes abgeschaffte alte sofort durch ein neues ersetzt werden.” Immo vero oratores haud

<sup>1</sup> Staatsalterthümer, p. 283, Ed. 2<sup>a</sup>.

<sup>2</sup> c. Leptin, p. 710.

semel populum incitant ut poenas legibus constitutas huius sceleris damnatis imponant, quemadmodum Demosthenes <sup>1</sup>: ἀκούετε τῶν νόμων ἃ κελεύουσι πάσχειν, ὧ ἄνδρες δικασταί, τὸν συκοφάντην; (vox συκοφάντης usurpatur eo, quem nos volumus, sensu) Sic Diocleides falsus accusator in hermocopidarum actione e legibus contra sycophantiam capitis damnatus est. — Postremo, cur nec in aliis scriptorum locis inter civium iura hoc ius affertur? Omni dubio maius nobis videtur locum Aeschinis non illo modo esse explicandum, sed nisi quis melius quid afferat, assentimur multo magis ei explicationi, quam et Wolff et Taylor proferunt, verba scilicet μηδέ συκοφαντεῖτω adversarii exagitandi causa ab oratore esse adjecta; expectaveris quidem argumenta iis, quae ab illis allata sunt, firmiora: nihilominus, quod afferunt non tam inane est ut eorum explicatio “der Stelle durchaus nicht angemessen” ducenda sit. Merito addit Markland: “Suppose an Athenian did not ἐταιρεῖν, was he therefore allowed by the Laws συκοφαντεῖν? Surely this is impossible.”

Vidimus, ut opinor, vim legum contra Sycophantas constitutarum e labente republica fuisse exiguam; erant praeterea aliae causae quibus legum illarum usus diminueretur; dolendum tamen est nobis

<sup>1</sup> c. Theocr., p. 1325.

deesse facultatem ut haec omnia in meliore luce ponamus; desunt enim nobis fontes unde statuamus, dicit Platner "unter welchen Voraussetzungen und Bedingnissen man eine Anklage wegen Sykophantie anstellen konnte, von welchem Umfange und von welchen Wirkungen dieselbe gewesen sei" <sup>1</sup> et hac in re tractanda desideramus Lysiae orationem *συκοφαντίας* contra Aeschinem <sup>2</sup>.

Quae dicitur *γραφή συκοφαντίας* instituebatur contra eum qui pecuniae extorquendae causa, vel ob alias causas lucrificas minatus esset alicui sive publicam sive privatam actionem, eamve revera iam instituisset omni iure deficiente. Secundum Böckhii suspicionem <sup>3</sup> talis actio etiam contra eos instituebatur qui in deferendo falsis erant usi testibus. Haec omnia satis sunt clara: sed nunc oritur quaestio, quando, quibus conditionibus talis actio institueretur? Ut sponte apparet sermo de ea nullus esse poterat, nisi Sycophanta suam delationem instituisset, eaque aut ad finem perducta esset, aut lite pendente interrupta.

Actione ad finem perducta, duo distingenda sunt: Sycophanta enim causa *cadit* aut *tenet* eam. Causa perditam iterum duo distinguenda sunt:

<sup>1</sup> Process II, 164 ff.

<sup>2</sup> Diogen., Laert. II, 63.

<sup>3</sup> Böckh. in Ind. lectt. Berol. 1817--18.

*Primo.* Sycophanta, si quintam suffragiorum partem non tulisset, plectebatur mulcta mille drachmarum<sup>1</sup> et praeterea ἀτιμία ut probabile est. Easdem poenas luit qui causam deseruisset. Hinc verisimile est accusatum calumniatorem suum non ultra esse persecutum: poenam enim pro tali delicto constitutam iam subierat.

*Secundo* fieri poterat ut Sycophanta quintam quidem suffragiorum partem tulisset, causa tamen cecidisset; tunc quoque, nam fontes hac de re nihil nos docent, verisimile est insidiatorem plerumque missum esse factum ab accusato sibi gratulante quod sic istius insidias evasisset. Negari tamen non potest exempla non defuisse quibus accusati litem intenderint contra accusatorem ne in posterum iterum negotia sibi facerent. Insuper monemus in hac re diiudicanda et in omnibus conatibus quibus aliquis a nefariis istis se liberaret imprimis a persona tam accusatoris quam accusati nec minus a maiore minoreve causae momento pependisse utrum accusatus litem persequeretur necne.

Sed fieri etiam poterat (et plerumque fiebat) ut sycophanta causam teneret, et PLATNERO assentimur putanti in causa sycophantiae ad eum casum prae ceteris attendendum esse, ubi reus non tantum peteretur

---

<sup>1</sup> Dem. in Arist., I, p. 803.

sed iam poena ei esset imposita. Quod sane rei consentaneum est, etenim quamdiu nondum erat damnatus, nullam bonorum nec capitis diminutionem passus erat; damnato vero tempus erat ut sui defendendi consilia excogitaret.

Non necesse erat tamen ut reus tamdiu dubius haereret, quinam sibi causae eventus futurus esset: per *παραγραφὴν* enim aut per *ἀντιγραφὴν* sycophantae delatio tolli poterat; praeterea *προβολή* adhiberi poterat contra Sycophantam in populi conventu insidiantem.

Postremo afferamus exemplum unde appareat <sup>1</sup> quomodo Sycophantae delatio irrita fieri posset. — Pasion nempe Menexenum et filium Sopäi accusat quod servum suum Cittum, quem ipse mensae argentariae praeposuerat, corrupissent ut ipsis sex talenta daret, quo facto Cittum ipsum ab iis esse occultatum. Pasionem, quippe qui accusationem suam nequeat probare, adeoque falsam eam esse confiteri debeat, Menexenus illa oratione accusat, et postulat ut eadem poena plectatur, quae Menexeno, si sceleris convictus fuisset, esset imposita. Menexenus quidem nullum ceperat detrimentum, actione quippe sublata; verum haec via ei ingredienda erat ut Pasionis improbitatem quam acerrime perstringeret et omnibus palam faceret.

---

<sup>1</sup> Isocr. Trapez. 11 sqq.



Actiones quibus Sycophantae peti poterant erant haec:

*Γραφή* apud Thesmothetas, *εισαγγελία* apud Senatum, *προβολή* ad populum <sup>1</sup>, *ἔνδειξις*, *ἀπαγωγή* <sup>2</sup> et *φάσις* <sup>3</sup>. — Supervacaneum est de iis fusius hic disserere.

*Ἄγων* erat *τιμητός*. — MEIER et SCHÖMANN <sup>4</sup> dicunt reum saepe capitis esse damnatum; cuius rei exemplum iam supra Dioclidem attulimus. Etiam SUIDAS <sup>5</sup> narrat in insula Tenedo carnificem securi armatum a tergo accusatoris stare solere, eumque, ubi iudices accusationem falsam esse comperissent, in ipso iudicio esse caesum. Quaeri potest utrum semper an tantummodo si quis causa esset capitalis hoc supplicium sumi soleret.

Ceterum plerumque multa irrogabatur: exemplum huius rei affertur summa 10,000 drachmarum, quas debuit Agoratus <sup>6</sup> e delationibus tam publicis quam privatis. Ipso iure damnatum *ἀτιμία* notari effecimus ex AESCHINIS verbis <sup>7</sup>: *ἄτιμοι ἐκ συκοφαντίας*,

<sup>1</sup> Isocr. de permut., § 314. Aeschin. de male gesta legat., § 145. Lys. c. Agorat., § 65.

<sup>2</sup> Dem. c. Theocrin., p. 1325, § 11.

<sup>3</sup> Pollux VIII, 47.

<sup>4</sup> Attische Process, p. 335.

<sup>5</sup> In voce *Τενέδιος*.

<sup>6</sup> Lys. c. Agor., § 65.

<sup>7</sup> De m. gesta legatione, § 177.

et ex DEMOSTHENE, ei nempe qui in accusando quintam suffragiorum partem non tulisset non licere in posterum *γράφεσθαι*, neque *ἀπάγειν* neque *ἐφηγγείεσθαι* <sup>1</sup>.

Postremo hoc loco memoria digna est lex quaedam Charondae <sup>2</sup> (ex urbe Catana in Sicilia Sec. 7°). Hic enim tulit ut quicumque alteri sceleris conscius esset id deferret, etiamsi a proximo cognato esset perpetratum: nihil enim patria idicavit carius esse debere. Difficultatibus autem et malis necessario tali decreto proficiscentibus opposuit aliam legem, qua calumniae convictis poenam irrogavit hanc, ut myrica coronati per urbem circumducerentur, unde eos malitiae palmam esse consecutos manifesto appareret.

Nemo igitur negabit poenas contra Sycophantas constitutas fuisse satis graves; et tamen Athenienses probe sciebant se melius sibi consulturos si alia quam legitima via ab eorum minis et persecutionibus liberare sese conarentur.

Melius igitur consilium divitibus dari non potuit, quam ut Athenis relictis aliud sibi domicilium eligerent; non autem tale quid quaerendum esse in oppido Athenis vicino, neque in aliqua colonia, neque inter socios, satis collegimus ex iis quae de Sycophantarum etiam extra Athenas potentia attu-

<sup>1</sup> c. Aristog. I, 803.

<sup>2</sup> Heyne, Opuscula Acad., II, 85.

limus. HELIUS quidam dicit patrem suum non Aenum Thraciae oppidum habitatum decessisse ut civitatis officia fugeret, nec quod Atheniensium regiminis forma sibi non placeret, verum quia pertaesus esset Sycophantarum <sup>1</sup>.

Sin autem quis Athenis degere mallet, is optime sibi consulebat si, licet istorum commercium et familiaritatem non appeteret, potius tamen pro amicis eos quam pro inimicis habere studeret, quocirca non inepte Charmides ille Xenophontius <sup>2</sup>: *ἐγὼ τοίνυν αἶτ' ἐν τῇδε τῇ πόλει, ὅτε μὲν πλούσιος ἦν, πρῶτον μὲν ἐφοβοῦμην, μή τις μου τὴν οἰκίαν διορύξας καὶ τὰ γοήματα λάβοι καὶ αὐτὸν τί με κακὸν ἐργάσαιο· ἔπειτα δὲ καὶ τοὺς συνοφάντας ἐθεράπευον, εἰδὼς ὅτι παθεῖν μᾶλλον κακῶς ἰκανὸς εἶην ἢ ποιῆσαι ἐκείνους.*

Quodsi quem propriae vires deficerent quibus Sycophantarum propulsaret iniurias, huic aliis ea provincia tradenda erat, iudice Socrate, qui diviti illi CRITONI consilium dedit <sup>3</sup>, ut Archidemum quendam virum quidem inopem, istarum vero artium non prorsus rudem sibi conciliaret amicum, qui Sycophantis accusationem minaretur quotiescunque hi Critonem peterent. Quo consilio Criton valde delectatus tot sibi inde com-

<sup>1</sup> Anthipon, de Nece Herodis, p. 746.

<sup>2</sup> Xen. Symp. 4, 39.

<sup>3</sup> Xen. Mem. II, 9.


moda paravit ut et huius amici Archidemo eiusmodi munera mandarent.

Non omnes vero aequae fide dignos se praestitisse, docemur ex loco Aristophanis <sup>1</sup> ubi Blepsidemus putatur *τρῆς μνᾶς ἀγαθῶνας λογίσασθαι δώδεια*.

Ut hisce finem imponamus, saluberrimum, modo ea res ad exitum perduci potuisset, Sycophantiae remedium teste Thepompo excogitavit PHILIPPUS Macedo, qui urbem traditur condidisse nomine *Πονηρόπολιν*, eoque compulisse omnes quotquot in regno suo essent falsos testes, sycophantas, periuros. Numerum tamen eorum exinde deminutum esse nusquam relatum reperimus.

---

<sup>1</sup> Plutus, 373.



## QUAESTIONES.

---

### I.

Vocabula *μηδὲ συνοφανείτω μισθωθεῖς* (Aeschines in Timarch. § 20) non proprio sensu usurpanda sunt.

### II.

*Γραφήν συνοφανείας* raro institutam esse perhibeo.

### III.

Alcibiades non fuit in iis, qui hermas mutilarunt.

### IV.

Cum Ribbeckio (Rhein. M. 1868. 1<sup>us</sup> II.) Horat. Lib. I Ep. 16 sic transpono:

XVI. 1—23 [24] 25—45, 57—62, 46—49, 52—54, 50 sq. [55 sq.] 63—79, eique adiicimus XVIII. 104—112; vs. 24 retinere maluerimus.

## V.

Virg. Aen. X. 102 sic legendus est:  
Et tremefacta *silet* tellus; silet arduus acther.

## VI.

Arist. Plut. vs. 1106 transponendum puto hoc modo:

ἔπειτα τὴν ὕν, εἶτα σαντόν. ΚΑΡ. εἰπέ μοι.

## VII.

In Taciti Germaniae Cap. III post vocabulum *nominatumque* nihil desideratur.

## VIII.

Aristides per totum exsilium in insula Aegina commoratus est.

## IX.

Numerus Persarum in pugna Marathonia occisorum definiri nequit.

## X.

Petrus I Russorum Imperator immerito dictus est *magnus*.

## XI.

Horatius ubi praecepta moralia tradit in Epistolis nequaquam sibi constat.

## XII.

Omnino dissentio a Doct. Abbing verba afferente Deinhardtii: "Ieder gymnasium behoort het als een hoofddoel zijner werkzaamheid te beschouwen, dat ieder zijner kwcekelingen de Latijnsche taal niet slechts correct, maar op echt Romeinsche wijze leere spreken en schrijven."

## XIII.


Morem hodieque praemia in scholis decernendi non probo.

## XIV.

Praeclarum illud Platonis praeceptum: *Μὴ βίᾳ τοὺς παῖδας ἐν τοῖς μαθήμασιν, ἀλλὰ παίζοντας τρέφε, ἵνα καὶ μᾶλλον οἷος τῆς κατορθῶν ἐφ' ὃ ἕκαστος πέφυκεν.* (Resp. VII. 536. e).

---





## E R R A T A.

| Pag. | linea | scriptum | dedicisset | <i>lege</i> | didicisset.       |   |                     |
|------|-------|----------|------------|-------------|-------------------|---|---------------------|
| "    | 32,   | "        | 11         | "           | instan            | " | instan.             |
| "    | 35,   | "        | 23         | "           | <i>συκοφαντεω</i> | " | <i>συκοφαντείν.</i> |
| "    | 36,   | "        | 9          | "           | couduxit          | " | conduxit.           |
| "    | 36,   | "        | 23         | "           | ititur            | " | utitur.             |
| "    | 41,   | "        | 8          | "           | constitnit        | " | constituit.         |
| "    | 41,   | "        | 23         | "           | optimatrum        | " | optimatium.         |
| "    | 44,   | "        | 5          | "           | abeundo           | " | obeundo.            |
| "    | 44,   | "        | 20         | "           | consilia          | " | consiliis.          |
| "    | 55,   | "        | 17         | "           | Feucro            | " | Teucro.             |
| "    | 58,   | "        | 11         | "           | prutanibus        | " | prytanibus.         |
| "    | 59,   | "        | 4          | "           | qus               | " | quos.               |
| "    | 62,   | "        | 20         | "           | plures eadem      | " | eadem.              |
| "    | 63,   | "        | 15         | "           | Audodidis         | " | Andocidis.          |
| "    | 73,   | "        | 8          | "           | idicavit          | " | iudicavit.          |

Leviora corrigat benevolus lector.

